This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600008273Q

L.212. B. 21.

E. BIBL. RADCL.

26
4
12

1542

600008273Q

L.212 B. 21

E. BIBL. RADCL.

C

1542 e. 258

SYNTAGMA

DE

OPHTHALMOLOGIA VETERUM.

SPECIMEN MEDICO - PHILOLOGICUM

AUCTORE

FREDERICO GULIELMO WALLROTH,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ARTISQUE OBSTETRICIAE DOCTORE, HERINGENSIS DITIONIS PHYSICO, SOCIETAT. NAT. CUR. BEROL. WETTERAV. TURICENS. HALENS. SODALI.

Sum ex iis qui mirer antiquos, non tamen ita, ut ingenia noſtrorum temporum deſpiciam. Neque enim in gignendis optimis laſſa eſt et quaſi effoeta Natura.

Plinius.

HALAE,

SUMTIBUS CAROL. AUG. KÜMMELII

1818.

Ὀυ φημὶ δὴ διὰ τοῦτο δεῖν τὴν τέχνην ὡς οὐκ ἐοῦσαν οὐδὲ καλῶς ζητεουμένην τὴν ἀρχαίην ἀποβάλέσθαι, εἰ μὴ ἔχει περὶ πάντα ἀκριβίην. ἀλλὰ πολύ μᾶλλον διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ ἀτρεκεστάτου, ὁμοῦ δύνασθαι ἥκειν λογισμῷ ἐκ πολλῆς ἀγνωσίης, θαυμάζειν τὰ ἐξευρημένα.

Hippocrat. de veter. medic.

VIRIS

PERILLUSTRIBUS, EXPERIENTISSIMIS,

MEDICINAE DOCTORIBUS ET PROFESSORIBUS CELEBERRIMIS,

FREDERICO BLUMENBACHIO,

FREDER. BENJ. OSIANDRO,

CAROLO HIMLYO,

MART. LANGENBECKIO,

RERUM MEDICARUM HISTORIAEQUE NATURALIS IN GEORGIA AUGUSTA LITERARUM UNIVERSITATE;

NEC NON

CURTIO SPRENGELIO,

FREDERICO MECKELIO,

IN UNIVERSITATE FREDERICIANA HALENSI,

ANTESIGNANIS EXCELLENTISSIMIS, PRAECEPTORIBUS IMMORTALIBUS,

GRATITUDINIS ET VENERATIONIS SUMMAE TESSERAM,

VILEM HUNC LIBELLUM

ταπεινῶς

CONSECRAT

FR. GUL. WALLROTH.

PRAECEPTORIBUS IMMORTALIBUS

SALUTEM ET OFFICIA

AUCTOR.

Καλῶς φησὶν ὁ Πλάτων· αἱ τῶν πατέρων ἀρεταί· καλλίον δ' ἀντιθῆναι δύνασθαι τὸν τοῦ Σθενέως λόγον· ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι· — *hac Galeni hortatione admonitus illiusque auctoritate et materiae gravitate fretus, ex oblivionis tenebris veterum de oculo integro et adfecto iudicia revocare noſtrisque praeceptis accommodare inſtitui. En igitur! quod diutius quam fas eſt quievit ſtipendiisque inter fortes Hannoveranorum cohortes à me nuper factis aliisque cauſis retardatum eſt, ſpecimen academicum auctum, id, paludamento fauſto iam exuto, laribus domeſticis blandisque artibus fotum et nutritum, Veſtris vero nominibus per orbem decantatis exornatum, nunc quoque ſerena fronte, nec ſine ſolito animi candore et hilaritate tanquam gratitudinis ſummae piaeque mentis verecundum corollarium accipiatis diſcipulumque Veſtrum gratiſſimum et nominibus Veſtris addictiſſimum in poſterum quoque memoria haud indignum habeatis.*

S. ex Muſeo m. Heringenſi propter Nordhuſam,
Calend. Mai. MDCCCXVIII.

Lecturis salutem auctor.

A primis inde iam annis, quum iuvenis esse quumque in veterum monumentis aere perennioribus et in observanda Natura dapes mihi gratas atque acceptas adquirere coepi, ex consuetudinis tanquam innatae et insculptae lege, varium anni tempus ita adhibui, ut per aestatis amoena otia in investigandis et definiendis vegetabilibus, per brumae vero longas ambages praesentis aevi pertaesus, in veterum fontibus limpidis quaererem ἀμοιβαία oblectamenta. Quo vero modo iam tres annos et qui excurrit, moris haud immemor, feliciter consumsi illisque ita usus sum, ut primo florain Virgilianam, altero, τῆς ὀπώρας ex priscorum opulentis reliquiis historiam, tertio autem Annum botanicum, in quo agri halensis aliquot plantas aut novas a me recens inventas, aut diligentius definitas illustravi,

confecerim. Iam vero, quum ſtudiorum, quibus nomen dedi, medicorum finis academicus et ritus, quem lubenter et aequo tueor animo, e novo calamum advocat et movet, ut in re medica ſummos honores in proprio ſpecimine, cui vulgo ab inaugurandis ſtudiis nomen eſt, captos iam palam profitear, in eligenda nova et utili ad illam materie haud diu ſudans, nullam aptiorem atque ſimul iucundiorem potui mihi cogitare, ac ſi adhuc quoque in antiquo vivere poſſem mundo, et veterum opera rimari admirarique et in illis utilis quid ſcituque digni proferre poſſem atque expiſcari. Utrumque itaque finem ut commoda aſſequerer via, ex rerum medicarum ampla ſegete ſimilem elegi materiem medico-philologicam, in quam extremis vitae academicae diebus, omnes ſtudii acriores diligentiaeque nervos infixi, ſcilicet, *de oculo in univerſum etusque vitiis medendi priſcis nota ratione.* Neſcio enim, quod intentum ſtudium et vix exſtinguendum in hac parte artis ſalutaris praeſtandi quid deſiderium, me captum tenuerit, dum *Himlyi*, viri illuſtriſſimi experientiſſimique (ex cuius, ut cum Homero loquar, lingua melle dulcior fluit oratio), praeceptis de oculi humani natura eiusque vitia et manu et medicamentis curandi ratione fruitus ſum, et vix aviditatem voluptatemque deſcribere valeo, quibus unam-

quamque notitiam in veterum monumentis, quae per illud tempus e novo transii, inventam exceperim et cum hodiernis ὀφθαλμοσκόφων legibus et praeceptis compoſuerim. Hac igitur ratione, ex veterum fontibus limpidis otia brumalia utiliter conſumendi diſcere artem, mox apud me conſtitui, de iſta materie quaedam conſcribendi, priſcorum medicorum obſervata, quantum quidem in his temporis iniqui anguſtiis fieri potuit, colligendi et ventilandi et ita ex farragine ubicunque diſperſa, hiſtoriae huius ſcientiae et artis primas lineas conficiendi, praeſertim cum nemo hactenus veterum de oculo cognitionem ulteriori ſtudio utilem dignamque habuerit, quae nihilofecius tamen ad univerſam et penitiorem de oculo doctrinam ſpectat et omnino neceſſaria eſſe videtur.

Me autem arduum aleaeque plenum adgreſſum eſſe opus finibusque ampliſſimis patens, quod non ſolum haud mediocrem veterum ſcriptorum lectionem, eorum lucidum ordinem commentariumque deſiderat, ſed quoque quadantenus coniunctam rei medicae peritiam expoſcit, a limine ſtatim ſenſi, et vix ſane ingenii capacitas literis exculta, hiſtoriam hanc commode extendere et elaborare permittere videtur. Nihilominus autem ſcribenti calamo ſubcrevit materia: undique ir-

ruerunt rivuli, quos ne manca evaderet et rimosa historia, minime sicco pede potui transire; et en! ita dum urceum molitus, vasta excessit amphora! — Prorsus igitur ex observationum penore in adversariis adnotatarum, in hoc libello illas potissimum in medium proferre instituī, quae reliquis scitu sunt digniores et totam materiem ita expedii, ut postero tempore alius quid habeat, unde sumat. Hoc enim per saturam digesto specimine peritiores malui in hanc materiem invitare, priscorum vero immensa merita iterum in memoriam vocare, et ex ista potissimum causa opusculum cum *συντάγματος* titulo e manu misi, ne illi qui gravius diiudicare solent iuvenilia studia, habeant in illo quid vituperandi et carpendi. Lubenter enim aetati sino meae, vela contrahendi cristasque componendi et submissus aliorum exempla doctrinae perfecta intueor obstupefactus, illaque *εἴδωλα* ad imitandum persequor votis, *Ciceronis*que in Catone Maiore, aureo contentum me consolor: „ver tanquam adolescentiam significare et ostendere fructus futuros et reliqua tempora demetendis perfectioribus fructibus et percipiendis accommodata esse.“ — Quod quum perspectum consideratumque habeam, nemo me in hoc aliisve scriptis teneat ventosi *πυργοπολειψίης* Plautini imitatorem, qui magno oris hiatu multa magnaque promittit et improvida

rerum ſuarum buccina et inepta oſtentatione aliis ſe principem obtrudit, dictaque tànquam ex tripode ſumta, unice vera praedicat. Proloquuturus igitur hanc iſtam προλήψιν prognaſcentem apud quosdam ſupprimere et trucidare, nec vero etiam verſus *Ariſtophanis* veriſſimum mallem peccare:

„Τὸ δ'ἐπὶ σεμνοῖσι λόγοις,
καὶ σκαριφισμοῖσι λήρων,
διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι,
παραφρανοῦντος ἀνδρός."

Quae igitur quum teneam illisque innitar, ne praefando nimis longus limites transeam, lectorumque patientia abutar, ſtatim ad huius ſpeciminis fines conſtituendos et res in illo deſcriptas explanandas calamum dirigo, quae aptam ſuppeditant materiem et ad me defendendum et ad faciliorem totius opusculi conſpectum parandum, haud inutiles ſunt. *Ophthalmologiae* titulo praefixo, univerſam de oculo integro et adfecto, ſive philoſophorum, ſive medicorum priſcorum cognitionem intellexi et exprimere volui. Votum hercle! ſatis vaſtum continens campum, quod ubi irritum et inane exſtiterit, potius materiei copiae, hucdum a nemine excultae et difficultati admumero, quam adhibitae diligentiae.

1) Ophthalmologiae meae, ne ſine fundamento divulgetur, tanquam baſis neceſſaria ſubſtrata ſunt fata hiſtorica, a primis inde temporibus ad argenteae aetatis ſcriptorum usque interitum (Sec. II. a. 116. p. Chr. n.). Fontes igitur auctorum ſacrorum et profanorum exinde perſpicui ſunt, recentes autem plane ignoro.

2) De oculi natura et oeconomia ita verba facere viſum eſt, ut philoſophorum iudicia de videndi facultate et viſu ipſo praemittantur, dein vero totius oculi et anatomica et phyſiologica cognitio exhibeatur.

3) Oculi dignitas laudesque veterum teſtimoniis illuſtrantur eiusque pretium ex priscorum theoria et praeconcepta ſaepe opinione derivatur.

4) Signa ex oculis in ſtatu corporis integro et adfecto enumerantur.

5) Verborum graecorum et latinorum ad oculos pertinentium ſignificationes, pro magna parte neglectae, nec exacte definitae, meo iudicio explicantur.

6) His praemiſſis, imbecillitates et vitia oculorum verſus recentium modum in ordinem redacta, adiuncta ſimul medendi ratione ab ipſis priſcis tradita, ſubſequuntur: eorum

nomina diiudicantur et hinc inde, ubi abuſa ſunt ab imperitis, apud nos reſtituuntur.

7) Tandem brevi praemiſſo de prima origine pharmacologiae meis ſuffragiis interpretanda excurſu, ex medicamentis ocularibus ſimplicibus nobiliora, ordine alphabetico cum ipſis vitiis verſus quae efficacia comprobavit uſus et experientia recenſentur. Collyria pauca modo ſimul cum vitiis c. 3. ea potiſſimum cauſa adduntur, quum illa ab aliis iam collecta, illuſtrata exſtant.

Ex dictis igitur ſatis bene liquet, qua potiſſimum mente Syntagmata mea de oculo conſcripſerim. Medicis enim non ſolum peritioribus et qui opera et cum illis opiniones veterum in deliciis habent, ſed quoque philologis, qui ſaepe ob peregrinam materiem in anguſtias compulſi, errores ſingulares in explicandis medicinae et hiſtoriae naturalis verbis ultro committere ſolent, obſervationibus meis de oculo utilis eſſe volui. Dein vero hanc materiem medico-philologicam exinde aptam habui et minime incongruam ad diſſertationem, ut vulgo vocatur inauguralem, cum in tali ſpecimine vix cuiuslibet morbi practica exſpectanda ſit ſumma peritia et dexteritas, ſed cum illa eo propemodum fine exhibeatur, ut non ſolum teſtimonium eruditionis et quae ad eius doctrinam, quam profite-

tur; ſed quoque ad ſcientias ſic dictas humaniores referuntur, praebeat. „Etenim, ut cum *Cicerone* pro Archia poëta loquar, — omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quoddam commune habent vinculum et quaſi cognatione quadam inter ſe continentur, — omnes autem artes, ut idem in libro tertio de Oratore adſeverat, aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt, aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita ſunt aliud acturi.“ — Et en! nonne et in hac, quae mortalium morbis ſpondet auxilium et profitetur arte, decet et valde inſignis eſt, literis quantum fieri poteſt, exculta doctrina? nonne in his ipſis literis illarumque ſtudio artis ſalutaris fundamenta? — nonne cognatio patet et exoptanda eſt, inter hanc et literarum ſtudium, vel ſumma et perfectiſſima, quae eius primitias ſanctas et incunabula fovet atque conſervat, ex quibus egregia graviſſimi momenti argumenta promittit et offert? — nonne apud quemlibet ingenuum liberaliterque educatum, ex hoc fonte conſcientia ipſa emergit et ſe extollit laureamque gloriae ſibi quaſi vindicat, qua ab aliis diſpeſcatur ſuspectis prodigiis? — Macti igitur, hac gloria, hac virtute! Vos fortunatos ſaluto ex animo, quibus non ignobile vitam ſustentandi neceſſario indignoque ſoſtro votum, ſed quibus altior quaedam et antiquior

inclareſcit meta et obverſatur, quae ſalutem et ſolatium ſpondet in rebus adverſis, in ſecundis vero voluptati et honori cumulos addit, aliis ſciolis ignotos atque plane inexauditos! Vos igitur, ſcientiarum utroque vinculo votisque iisdem coniunctos, Vos contentos his meis de oculo priſcorum ſuffragiis, laetus et audax alloquor, Vos quorum ingenium fontes ipſos adgreditur, quorum mens imbuta eſt literis artiumque disciplinis inſtructa, quorum facundia vix cum inertia mea poteſt conferri, Vos potius experiundi voluntatem, quam perficiundi ſpem et imperfectam amoenitatum academicarum prolem meam transverſis quaſi oculis conſideretis, nec diiudicetis graviori flagello, ſed *Varronis* illo contenti ſitis mihique faveatis:

„Omnia ſcire impoſſibile, pauca vero laudabile.“

Sc. in Muſeo m. Georgiae Auguſtae,
die altero feſt. paſchal. 1815.

Conſpectus.

Cap. I. Pars hiſtorica.

Pag.

1. Medicina ex ipſis morbis eorumque naturam cognoſcendi et curandi conatu quaſi inſito, inventa prodiit. 1
2. Prima medicinae veſtigia emergunt apud Aegyptios. 2
3. Artem medicam apud Aegyptios exercebant ſacerdotes. 5
4. Cyrus ab Amaſi medicum ocularium expetit. —
5. Ex Aegypto transit ad Graecos: alii Apollinem, alii Chironem pro inventoribus habent et colunt. 6
6. Augmenta capit ex incubatione et ex anathematibus. 8
7. Lycurgus Minervae ophthalmitidi ex gratitudine templum exſtruit. 9
8. Hippocratis Coi ſtudiis maxime augetur et ad artem promovetur. 11
9. Ariſtotelis et Theophraſti opera de oculo ad noſtram aetatem non pervenerunt. 13
10. Ita exculta ſummis Graecorum ingeniis transfertur ad Romanos, minus autem felici ſucceſſu, ut tota medicina: odio perſequuntur medici. . . . 14
11. Serius e novo laetius exſurgit et cum illa multi medici ocularii a Celſo iam commemorati. . . 15
12. Celſi ſtudiis et ἀκριβείᾳ et medicina et chirurgia ocularia egregie illuſtratur. 17

Pag.

15. Galenus oculi adfecti therapiae minus, quam anatomiae obſervationibus ſucturrit. 18

14. Medicinae ocularis dignitas demum perit et ſciolis indigniſſimis commendata priſtinum perdit ſplendorem. 20

Cap. II. Pars phyſiologica et anatomica.

15. De oculi natura prima ſuffragia ex philoſophorum ratiociniis orta ſunt. 23

16. Viſus ſenſus ſupremi dignitas ſumma: cum cerebro connexus arctus indeque vultus Romanorum vis atque conſtantia. 25

17. Varia argumenta, quibus oculi dignitas illuſtratur. 27

18. Viſus definitio et explicatio iuxta Empedoclis, Ariſtotelis, Democriti, Hippocratis et Platonis praecepta, quibus Galeni opinio accedit. . . . 29

19. Oculi anatomia: Alcmaeon iam de oculi ſtructura tractatum conſcripſit. Legibus et Graecorum et Romanorum eius augmenta prohibentur. . . 35

20. Superciliorum uſus et commoda: vitia, ſigna ex illis morum et in morbis ſignificatus. Iunoni ſacra et a mulieribus tinguntur ſic dictis calliblepharis. 37

21. Signa ex palpebris in morbis earumque uſus. Morientibus clauduntur. Ciliorum indoles. . . 43

22. Glandulae Meibomianae unctuoſa corpora in palpebris apud Galenum. 48

23. Canthus externus et internus, ſ. maior et minor. —

24. Membrana ſemilunaris. 49

25. Caruncula et glandula lacrymalis. . . . —

26. Globus oculi, nec bulbus vocandus eſt: eius motus, ſine muſculis ab Hippocrate et Ariſtotele interpretatur, qui demum a Galeno bene deſcribuntur. . . 50

27. Oculi tunicae plures, 2—7 a variis habentur. 53

28. Iris vulgo τὸ nigrum oculi: eius varia nomina; motus reciprocus a Hippocrate primum obſervatus. Circulus

Pag.

culus maior. — Iridis dignitas, varii colores iuxta leges Stagiritae: ſigna morum ex illis. . . 57

29. Humores oculi: corpus vitreum, lens cryſtallina et liquores reliqui. 66

30. Nervus opticus. 68

31. Vaſa ſanguifera ex cerebro: connexus cum ventriculo apud Galenum et Plinium. 70

32. Epilogus. Teſtimonia veterum ad oculi dignitatem explicandam. Oculi connexus cum cerebro et mutua cum illo relatio, iuxta Ariſtotelis praecepta: argumenta quae inde fluunt, de ſenſus principatu. Vultus dignitas ad mores cognoſcendos, in ſecundo et adverſo corporis ſtatu. Signa quaedam ex oculis in corpore ſano: alia multa in corpore aegro ex Hippocrate. 71

Cap. III. Pars therapeutica.

33. Oculis adfectis medendi deſiderium maturum in ipſo oculorum uſu. 84

34. Oculi adfecti therapia ex rudi obſervationis cognitione cum Hippocraticorum ſtudiis, artis nomen et culmen attingit. 90

35. Hippocratici iam oculorum vitia medicamentis internis et externis et manu curant eorumque cauſas inquirunt. 91

36. Eximia augmenta per Celſum. Vitia in tres claſſes dividuntur. Opera certis temporibus inſtituenda. 92

37. Galeni additamenta egregia. Eius leges et vitiorum claſſes. 93

A. Superciliorum vitia.

38. Vulnera ſupercilii aut vicinis partibus inflicta. 95

B. Palpebrarum.

39. Lagophthalmos. 97

40. Ancyloblepharon. 98

Pag.

41. Synblepharon. 99
42. Ectropium. Τραχώματα μεγάλα, palpebrae ſcabrae, τύλωσις, παχύτης. 100
43. Tumores. 104
1) Hydatis et veſica. . . . . —
3) Sykon. 105
4) Carbunculus. 106
5) Crithe et Chalazion. . . . 107
44. Trichoſis. Entropium. Diſtrichiaſis. . . 109
45 Phtheiriaſis. 114
46. Scabies. 115
47. Madaroſis. . . . . —

C. Canthi interni.

48. Epinyctis. 116
49. Encanthis. πίλλωμα *Hippocr.* . . . 117
50. Rhyas. 119

D. Organorum lacrymalium.

51. Aegilops. . . . . —
52. Fluxus oculorum: 121
α. Lippitudo ſ. inflammatio. . . . 124
β. Pituitae. 142
γ. Xerophthalmia. 149

E. Globi oculi.

53. Strabismus. 151
α. Strabus. 152
β. Paetus. 153
γ. Limus. 154
54. Reſolutio. 155
55. Exophthalmos. 156

			Pag.
56.	Atrophia.		158
57.	Sanguine ſuffuſi oculi.		159

F. Tunicarum.

a. Coniunctivae.

58.	Pterygium.		160

b. Scleroticae.

59.	Clavus oculorum.	(L 147)	163
60.	Staphyloma.		—

c. Corneae.

61.	Puſtulae.	(L 150)	166
62.	Ulcera: ἀχλύες, νεφέλαι, αἰγίδες *Hipp.*	(L 151)	167
63.	Cicatrices: λεύκωμα et παράλαμψις.	(L 154)	170
64.	Onyx: hypopyum et hypopium.	(L 156)	172

d. Iridis.

65.	Mydriaſis.	(L 160)	176

G. Humorum internorum.

66.	Prolapſus.	(M 161)	177
67.	Hypochyma.	(M 162)	178
68.	Glaucoma.	(M 164)	180

H. Retinae.

69.	Amauroſis.	(N 180)	196
70.	Nyctalopia.	(N 183)	199

Imbecillitates quaedam.

71.	Myopia.	(N 187)	203
72.	Presbyopia.	(N 188)	204
73.	Oxyopia.	(N 189)	205

Cap. IV. Pars pharmacologica.

Pag.

74. Pharmacologiae prima initia latent in mythicis, medicis, phyſicis, hiſtoricis ſacerdotum, medicorum et philoſophorum ſuffragiis. Inſtinctus animalium et rhizotomi lucem foenerati ſunt et doctrinam cum experientia perfectiorem reddiderunt. . . (N 190) 206

75. Herbarum effectus primum innotuit priſcis hominibus. 209

76. Vitiis manu medendi dexteritas cum philoſophis. 214

77. Medicamenta compoſita in Aegypto orta. 217

78. Medicamenta ocularia varia ſecundum uſum, quo adhibentur et parantur modum. . . . 220

79. Enumeratio plantarum verſus oculos adfectos laudatarum. 221

80. Medicamenta ſimplicia ex regno animalium. 240

81. Eadem ex minerarum regno. 245

CAP. I.

DE

PRIMIS OPHTHALMOLOGIAE RUDIMENTIS.

Cum homine nato, simul quoque humani corporis natae sunt aegritudines et illas cognoscendi et curandi conatus: αὐτὴ γὰρ ἡ ἀνάγκη ἰητρικὴν ἐποίησε ζητεῖσθαι τε καὶ εὑρεθῆναι ἀνθρώποισιν, ut iam divinus professus est *Hippocrates*.[1]) Ita enim causis morborum et externis iniuriis obnoxium nec ab illis liberum integrumque voluit natura hominem, et ex illa ipsa naturae potissimum dote connata, derivanda est ille ars, cuius ope corporis humani vitia, quantum quidem manca saepe permittit cognitio, cognoscuntur atque curantur, et cuius origo in ipsa mortalium sita est origine. In ipsis itaque primaevis humani generis incunabulis, densa caligine absconditum atque sepultum universae artis medicae et ipsius quoque ὀφθαλμιατρικῆς mihi fingere mallem exortum: praesertim cum au-

1) Hippocr. de vet. medic. c. 2. p. 18 ed. Mackii.

dacter *Celsus*[2]) adseveret, nec post rationem medicinam inventam, sed post inventam medicinam, rationem esse quaesitam! — Ut vero oculus, pretiosissimum κειμήλιον et nobilissimum, quod homini impertiit natura, totius corporis pars est, quae a reliquis illaeso usu disiuncta non potest cogitari, ut illa ipsa praeprimis externis mutationibus exposita in excelso, tanquam φωςφόρη σφαῖρα, regnat et cuilibet vi portam offert apertam, sic sine dubio, ut in reliquis, haec quoque oculorum exorta vitia sive ex arte, sive ex observatione auxilium desiderare debebant, quo debellentur. „Ingentibus enim variisque casibus, ut cum *Celso* meo[3]) loquar, oculi nostri patent: qui, cum magnam partem ad vitae simul et usum, et dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt." Totius ergo artis medicae fata simul quoque eius partem tangunt, quae oculorum morbis medendi rationem tradit, et apud varias gentes utraque aut ex ipsius climatis aut vivendi vario modo, aut neglecta, aut exculta et aucta tandem ad veram doctrinam prima construxit fundamenta.

Ista vero artis medicae prima rudimenta, commentis multis et nonnisi mythis infinitis implicata, inter Aegypti fertilissimae incolas diligentissimos et ingenuos et si cum aequalibus aliarum regionum conferuntur, sapientiores et magis excultos pri-

2) De Medic. I. 1. p. 7 ed. Ronss.
3) Celsus de Medicin. VI. 6. p. 346 ed. Krause.

mum emergere, hiſtoria haud uno docere videtur argumento. Tanto enim Aegyptii bonarum omnium, quae humanitatem appellant artium ſtudio flagrabant, ut vix ullam relinquèrent artem aut doctrinam, quam non excolerent; arti medicae vero ita fuiſſe dicuntur dediti atque obſtricti, ut cuilibet morborum ordini proprium etiam medicum dicarent. Quem vero vel maxime maturum, admiratione laudeque, in univerſa autem rei medicae hiſtoria notatu digniſſimum morem iam cum ipſo *Herodoti* [4]) loco confirmo: ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφὶ δέδασται· μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι καὶ οὐ πλέόνων. Πάντα δ' ἰητρῶν ἐστὶ πλέα· οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, ὀδόντων, etc.

Quin ſacerdotes ſatis verſuti, quibus fuit artem medicam exercendi, *Jamblichi* aevo, libros 42 *Hermeti Trismegiſti*, (qui Aegyptiis leges et literas tradidit), [5]) ſive ut illis vocabatur *Thout* ſ. Thot, adſcriptos, quorum 36 libri fundamenta univerſarum artium quae ad humanitatem ſpectant et reliqui, artis medicae inſtitutiones anatomicas, therapeuticas et praeprimis de ſexus ſequioris et oculorum morbis hiſtoriam continebant, impia fraude circumferre, eorumque vel leviſſimam

4) Euterp. II. c. 84. p. 140 ed. Weſſeling. — Mathelin etiam primum Aegyptiorum ſacerdotes exercuiſſe teſtis eſt *Ariſt.* metaph. I. 1. p. 1226 ed. Gaza.

5) Cic. N. D. III. 22.

de oculo eiusque cura cognitionem, illis dignitatem addere et confirmare ausi sunt. Istud, vero vastum opus iam ipsi *Galeno* [6]) nugis anilibus plenum et minime genuinum et *Jamblicho* [7]) fictitium et spurium videtur. Quamvis etiam ita se res habeat, Aegyptiorum tamen laudabile studium et morem, singulis morborum provinciis singulos medicorum ordines constituendi, unicum habeo et sequentibus temporibus ipsisque Graecis plane novum ac inusitatum. Vix enim ex *Hippocraticis* subire videtur locus, qui istum morem possit declarare, de quo *Ciceronem* etiam habeo testem, dicentem: [8]) „an tu existimas, cum esset *Hippocrates* ille Cous, fuisse tunc alios medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur?“ Et nihilominus si *Prospero Alpino* [9]) fidem habemus, ille insignis mos a vetustissimis inde temporibus ad recentiores quoque Aegypti incolas se propagavit et adhuc viget. Hanc vero artis medicae et praecipue chirurgiae, quam vetustiorem puto therapia, [10]) maturam apud Aegyptios originem, cl. *Hallerus* [11]) ex corporis mollitie et timore, quibus molles gentes timidaeque invitatae, equidem autem potius ex laudabili cultu

6) De facult. simpl. med. VI. p. 69.
7) Myster. aegypt. VIII. c. 4. p. 160.
8) De Orat. III. 33.
9) Medic. Aegypt. I. c. 9.
10) Cels. de med. I. 1. 1. — VII. 1. p. 611 ed. Ronss.
11) Biblioth. chirurg. I. p. 2.

et omnium disciplinarum singulari studio legumque optimarum commercio et concentu cum cl. *Sprengelio* [12]) derivare mallem. Aegyptiorum enim gloria et laus in arte medica tanta fuit, ut Aegyptii iam *Homero* [13]) ex Paeonis sexu prognati vocentur, cum quilibet fere medicinam faceret.

Aliis gentibus vero etiam hanc notam fuisse et celebrem in arte medica peritiam, ex multis videre possumus exemplis. Sic *Herodoto* [14]) narrante, *Cyrus* ad *Amasin*, Aegyptiorum regem nuntios, qui ab eo optimum et peritissimum per totam Aegyptum medicum ocularium peterent, misisse dicitur, qui vero rege iubente extorris, indignabundus, tandem auctor factus est belli inter Cambysen et Amasin, in quo Aegyptii victi sunt. In *medendis* vero hominum morbis et oculorum vitiis corrigendis, apud Aegyptios occupati erant sacerdotes ordinis inferioris παστοφόροι (quoniam scapham Aegyptiis sacram portabant ita dicti), ex libris VI. *Hermeti* vulgo adscriptis, quos portentis et praestigiis plenos fallaciter interpretabantur. Ex illo ipso forsan etiam tempore originem trahunt varia in posteris veterum monumentis descripta remedia Aegyptiaca adversus oculos adfectos,

12) Geschichte der Arzneyk. I. S. 38.

13) Odyss. IV. 231.

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων· ἦ γὰρ παιήονος εἰσι γενέθλης.

14) Thal. III. 1. p. 198.

ex quibus v. c., collyrium aegyptiacum ex *Aſclepiade* a *Galeno* [15]) laudatum, *ἀχαριστὸν* dictum, notum eſt.

En! ſic illa terra, quae noſtra tempeſtate graviſſimum et aterrimum nutrit oculorum morbum, artis veram crucem, ab ipſa dictum, ipſius artis ex qua auxilium ſpondet atque exſpectat, prima olim tulit inſita et originis juvenilis rudimenta!

Ex ſimilibus plane ut apud Aegyptios, poſteris temporibus, fontibus in Graecia etiam exiit hominum morbis medendi ars, cuius pater atque inventor *Apollo* a plurimis habetur auctoribus, [16]) quod etiam cuilibet in re medica forti ſocio, ex *Hippocratis* iam tritum eſt proverbio. [17]) Huic ipſi, *Hygino* interprete [18]) oculorum adfectorum cura quoque adſcribitur inventa; et neſcio profecto quemplam alium illius aevi Deum, cui aptius oculorum ſalus commendata eſſe potuerit ob praeſidium et ſimilitudinem lucis, cui praeerat, quique etiam *mundi* oculus a poëtis [19]) vocatur; ocu-

15) Compoſ. ſec. loc. IV. 7. — Aliud eiusdem nominis a *Theodoto* compoſitum apud *Celſ.* VI. 6. p. 352 occurrit.

16) Orph. Hym. in Apoll. p. 224 ed. *Gesner.* — Argon. v. 173. *Pindar.* Pyth. V. v. 85. — Euripid. Alceſt. v. 969. — Sophocl. Oedip. R. v. 149 etc.

17) Hippocr. ὄρκος p. 1.

18) Fabul. 274.

19) Ovid. Metam. IV. 228.

Omnia qui video? per quem videt omnia tellus:
Mundi oculus.

lum *Orpheus* vocat microcosmi solem, Aegyptii vero solem adorabant et Dei invisibilis invisibilem appellabant filium et *Hesychio* auctore, ἥλιος πύλαι poetis oculi dicuntur.[20])

Ab *Apollodoro*[21]) *Chiron*, Thessaliae centaurus vocatur ἀρθαλμιατρικῆς inventor. Visum enim restituit Phoenicia in stupro correpti et a patre irato Amyntore obcaecati. Ex hac itaque causa Thessali *Chironem* inter Deos relatum colebant et illi primos anni fructus sacrificabant.[22])

Maiora autem universa ars medendi et praeprimis etiam eius pars, quae oculos adfectos curandi docet rationem, cepit augmenta, a temporibus antiquissimis et situ, in templis Deorum exponendi aegrotos omnis generis.[23]) Ut tunc enim res se habuit, omnis plane medendi ars empirica, sacerdotibus unice addicta erat, qui, hominum credulitate consilio collectam et subinde observationibus excultam de morbis cognitionem, tanquam secreta Deorum immortalium consilia, venditabant aegrotis, eorumque formulas definitas per insomnia[24]) incubantibus in templo aegrotis, saepe etiam per aenigmata impertiebant. Eventum exoptatum aegroti donis saepe ditissimis remunerabant et mem-

20) Laurent. hist. anat. XI. 3.
21) Biblioth. III. 13. p. 236.
22) Plutarch. Symp. VIII. 1. p. 647.
23) Hundertmark dissert. de incubatione. Helmst. 1689.
24) Lucian. ψευδομαντις, 5. Aristoph. Plut. 109.

bra quoque dedicabant quibus adfecti erant.[25]) In illis autem templis coecos etiam et quorum oculi adfecti erant, incubasse, ἀναθέματα sive donaria votiva, quae ab aegrotis post morbum feliciter superatum, templi parietibus aliisve locis aptis adfigebantur, perspicue demonstrant. Plura reperta sunt in Tiberina insula et a *Gratero*[26]) et post hunc ab *Hundertmarkio*[27]) pervulgata, quorum unum ex clar. *Sprengelii* facundissimo opere[28]) transscribo:

Ουαλεριῳ Απρῳ στρατιωτῃ τυφλῳ εχρηματισεν
ὁ θεος ελθειν και λαβειν αἱμα εξ αλεκτρυονος
λευκου μετα μελιτος και κολλυριου σωτρηψαι
και επι τρεις ἡμερας επιχρισαι επι τους
ὀφθαλμους και ανεβλεψεν και εληλυθεν
και πυχαριστησεν δημοσιᾳ τῳ θεῳ.

Simili modo oculorum morbos curandi ratio divulgabatur, aut a sacerdotibus, aut ab ipsis incubantibus templi columnis insculptis remediorum formulis; et sic a *Galeno*[29]) emplastra duo memorantur, alterum Isidis, alterum sacrum διὰ διατάμνου dictum, contra oculorum fluxus, quorum no-

25) Cf. Hundertmark. invent. art. med. et expos. aegrot. p. 49. Hic mos vero nondum periit: cf. Breval Voyag. II. p. 228, et omnes fere artus eo more confectos se vidisse. Addisson Italy p. 54 indicat.

26) Thesaur. inscript. p. 67 n. g.

27) Dissert. l. p. 45.

28) Geschichte der Arzneyk. I. p. 208.

29) Compos. sec. gen. V. 1.

titia ex isto potissimum more ad nos pervenit. Pertinet huc quoque collyrium illud, quod auri quidam faber post mortem templo reliquit Ephesio, ab *Adriano* repertum, de quo *Aëtius*[30]) verba facit.

Multum vero sine dubio ad artis medicae partem, quae oculis medetur, in Graecia confirmandam contulit et non parum dignitatis addidit, praeclarum illud et singulare *Lycurgi* factum, in *Minervae Ophthalmitidis* s. *Optiletis* honorem ex gratitudine circa Lacedaemones vicum Alpium, delubrum exstruendi, cuius rei nexum *Pausanias*[31]) uberius et fere sic explicat: ἰόντι δὲ ὡς ἐπὶ τὸ Ἀλπίον καλούμενον, ναός ἐστιν Ἀθηνᾶς Ὀφθαλμίτιδος· ἀναθεῖναι δὲ Λυκοῦργον λέγουσιν ἐκκοπέντα τῶν ὀφθαλμῶν τὸν ἕτερον ὑπὸ Ἀλκάνδρου, διότι, οὓς ἔθηκε νόμους, οὐκ ἀρέστους συνέβαινεν εἶναι τῷ Ἀλκάνδρῳ. Διαφυγὼν δὲ ἐς τοῦτο τὸ χωρίον Λακεδαιμονίων ἀμυνάντων, μὴ προσαπολεῖσθαι οἱ καὶ τὸν λειπόμενον ὀφθαλμὸν, οὕτω ναὸν Ὀφθαλμίτιδος Ἀθηνᾶς ἐποίησε. Eandem quamvis paullo diversam rem *Plutarchus*[32]) etiam refert: τοῦ δὲ πάθους ὕπομνημα Λυκοῦργος ἱδρύσατο, τῆς Ἀθηνᾶς ἱηρὸν, ἣν Ὀπτιλέτιν[33]) προσηγόρευσε, τοὺς γὰρ ὀφθαλμοὺς ὀπτιλέ-

30) Tetrab. II. serm. 3. c. 113.

31) Lacon. III. c. 18. §. 1. p. 408 ed. Tac.

32) Vita Lycurg. c. 11.

33) Olympiodor. de Platon. Gorg. c. 45. ἱστορεῖται καὶ ὅτι πτελλίας Ἀθηνᾶς ἱηρὸν ἐποίησε· πτίλλους δὲ ἐκάλουν

στους οἱ ταύτῃ Δωριεῖς καλοῦσιν· ἔνιοι μέντοι τὸν Λυκοῦργον πληγῆναι μέν φασιν, οὐ τυφλωθῆναι δὲ τὸν ὀφθαλμὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἱερὸν τῇ θεῷ τῆς ἀνέσεως χαριστήριον ἱδρύσασθαι.“

Sed exeamus ex templis, veniamus ad philosophorum tabernas illasque expiscemur.

Nunc tandem ars nostra praestantissima ex mythorum tenebris et servili sacerdotum superstitione erepta, exuvias quam maxime iuveniles et empiriae et ignorantiae incongrua documenta cum philosophiae splendore et verae doctrinae virtute mutans, transiit ad philosophos et cum illis prima

---

τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰ δὲ ἦν τυφλωθεὶς, οὐκ ἂν ἐποίησεν ἱερόν. — Epitheta Minervae, ophthalmitidis et optiletis, mythologicis nova esse videntur. In ὀπτιλέτις, ni fallor, verbo subsunt: ὀπτίζω et τίλος: τίλος vero aut τύλος, ut infra c. 5. uberius indicabo, vitium est palpebrae. Forsan igitur Lycurgus, illo palpebrarum vitio, ex quo, cum tempore internae oculi partes simul correptae, visus aciem turbabant, laborabat: quibus omnibus restitutus, tunc ex gratitudine delubrum exstruebat in honorem Minervae, quam ante adoraverat, ab ipso morbo cognominatum. Ὀπτιλέτις enim caecitatem etiam exprimit, me vero iudice, illam tantum, quae ex ptilosi, palpebrarum vitio eiusque sequelis, exiit et contracta est. Aliam caussam quidem enarrat *Pausanias*; tamen veram adhuc nempe utpote incertam indicat. — Similiter caeterum in Gallia et Belgio, Caeciliam sanctam oculis affecti adorare, memini ex vita castrensi et miror magis quam invideo eiusmodi curam hodiernam! —

simul scholae medicae vestigia et persuasio, morbos non eloquentia, sed remediis curari, [34]) exoriuntur. Vix tamen exinde coepit ὀφθαλμολογία nova augmenta, ut quidem notitiarum penuria eorum, temporum docere, videtur. Occurrunt passim in serioribus antiquitatis monumentis exempla, ex quibus conicere fas est, oculorum adfectorum curam his temporibus haud plane alienam et neglectam fuisse; sic v. c. *Plinius* [35]) ex *Pythagorae* auctoritate, ratam oculis noxam indicat et *Diagoras* Opio oculorum aciem debilitari credidit, ut ex *Plinio* [36]) et *Dioscoride* [37]) discimus. Reliqua vero et maioris quidem momenti plane desiderantur.

Novum tandem et praeclarum arti medicae universae et eius parti, quae oculi morborum historiam docet, exortum est emolumentum et sidus adfulsit, totam artem splendore suo illustrans, cum *Hippocrate Coo*, viro et arte et facundia insigni. In istius enim rei medicae parentis aureis operibus, et quae illi vulgo adscribuntur, praeter alia insignia, de oculorum quoque adfectionibus varia haud spernenda, occurrunt undique dispersa. Illi ipsi etiam peculiaris tractatus, brevissimus certe,

34) *Cels.* de Med. I. c. p. 7 ed. Ronff.

35) H. N. XX. 13. ed. Franz. — Aliter Ovidius (remed. Amor. 801.)

„Utilius fumus acuentes lumina ruris."

36) H. N. XX. 18.

37) Dioſc. IV. 65.

περὶ ὄψιος[38]) adſcribitur, quem vero aptiſſime iam cum *Hieronymo Mercuriali*[39]) ſpurium habeo, qui tamen ab immortali *Hallero*[40]) haud inutilis vocatur, cuius ſummam ſuis locis proferam. Ex Hippocraticorum igitur digniſſimis operibus, quae totius artis apud veteres cuiuslibet aetatis conſtituunt fundamenta, derivanda ſunt prima melioris de oculo elusque morbis cognitionis initia et illa potiſſimum primos largiuntur fontes, ex quibus novi quid et inſignis in medium proferre valeamus.

Ariſtotelis divinum etiam ingenium, capaciſſima omnium doctrinarum facundia, et praeceptum: τοῦ φιλοσόφου εἶναι, περὶ πάντων δυνάσθαι θεωρεῖν,[41]) oculum nequaquam tacite potuit transire et negligere. Scripſit enim, *Fabricio*[42]) teſte certiſſimo, peculiarem librum, cui ὀπτικὸν titulus et alios duos περὶ ὄψεως. In reliquis autem quae ad noſtram venerunt aetatem aureis operibus et anatomiam et phyſiologiam oculi egregie illuſtrat, ut ſuis locis videbimus.

Quin *Theophraſtus* etiam Ereſius, rei herba-

38) De viſu libell. ed. Iugl. Helmſt. 1792. — In edit. Ald. n. p. 224.

39) Cenſur. op. Hippocr. Baſil. 1584.

40) Biblioth. chirurg. I. p. 12.

41) Ariſt. Metaphyſ. III. 2. p. 1266. — Cic. de Orat. 1. p. 242 ed. Monut.

42) Biblioth. graec. III. c. 7.

riae pater et inventor, *Diogene Laërtio* [43]) teste, libros quatuor περὶ ὄψεως confecit, procul dubio praestantissimos, utriusque vero, quod valde dolea-mus, aeque ac *Herophili* medici *Erasistrato* aequalis, opus ad nostra tempora non pervenerunt.

Tanta igitur apud Graecos oculorum gloria et pretium, ut hi ipsi triumviri per totam antiquitatem inclarescentes, operam haud indignam putarint in oculi naturam et indolem inquirendi; ex quo omnino Graecorum laudatum studium et haud infelices successus in medendis oculorum vitiis summo iure exspectare possumus atque augurari.

Illa ipsa autem ars, in Aegypto exorta, a Graecis exculta et insignibus aucta augmentis, hoc quidem tempore Latio aut plane non innotuit aut certe ita fuit comparata, ut vix artis umbram reddere et efficere videatur, donec demum haec quoque simul cum universa rei medicae meliori cognitione a Graecis transiit ad Romanos, quorum diligentia autem vix addita sunt insignia emolumenta. Paucis itaque absolvere possumus Romanorum in morbis oculorum corrigendis peritiam, quum non solum certior de illa plane deficiat notitia, quumque ne quidem, ante *Catonem* de medico oculario apud auctores vestigia supersse videantur. Omnis enim res medica, certe manu vitia curandi ratio Romanis tantopere terribilis

43) Vit. Theophr. 42.

erat illo tempore et plane aliena et inexaudita, ut v. c. *Archagathum* ex Peloponneſo Romam ut medicinam faceret, venientem, cum maſculum quoddam vellet exercere opus, carnificem dixerint, [44]) et *Cato* tanto ut omnes Graecos, ita et medicos proſequutus eſt odio, ut ipſum filium morti potius praematurae tradere, quam medicam opem adhibere, mallet. Quin illo tempore, ne tonſores quidem (qui noſtris temporibus gregatim plateae pavimenta dum terunt et conculcant, lubenter quoque oculis inſpicere ſolent) Romae fuiſſe et poſtea demum e Sicilia advenisſe, auctor eſt *Varro*. [45]) Quid igitur mirum, ſi per huius aevi medicinae ocularias inducias, oculorum curam, quam vel ſubtiliſſimam habeo, neglectam et plane ignotam reperimus, ubi ipſe *Cato* [46]) fracta et luxata ridiculo carmine et anili fine artis auxilio reponere ſusceperit et redintegrare! —

Alteram igitur artis noſtrae periodum, quam ab *Hippocrate* ad *Celſum* definimus, nobis ſalutantibus poſt ſeculorum fere quinque intercapedinem vix occurrunt fontes, ex quibus vel tenuiſſimos ad noſtram derivare poſſemus hiſtoriam rivulos. Nullum enim per tantam annorum ſeriem et divortium et poſt tam egregia ad artem poſita initia propemodum ſcio auctorem, cuius opera hactenus

44) Plin. H. N. XXIX. 1.
45) R. R. II. fin.
46) R. R. §. 160.

expiſcari poſſemus, et quae novis obſervationibus noſtram hiſtoriam continuare poſſent et extendere. Magna quidem huius periodi medicorum ab oculorum cura, *ophthalmici* dictorum apud poſteros occurrit et laudatur caterva et vaſta ſylva collyriorum cum encomiis haud mediocribus ſimul ad noſtram pervenit aetatem, vix tamen aliae melioris notae ſuperſunt obſervationes, quae nos hic poſſint remorari. Quamvis autem res ita ſe habeat, ex ipſis tamen nominibus medicorum omnino ſtadium, quo ars noſtra colebatur, clarissime intelligere et augurari poſſumus et ex hac ipſa cauſa fine adiectis obſervationibus eorum etiam nomina, qui ab oculorum cura, medici oculorii vocabantur, ſelecta huc pertinere videntur. *Celſus* [47]) dum eorum laudat collyria, plures memorat ophthalmicos, quorum nomina transſcribo:

Herophilus.

Caryſtius.

Heraclides Tarentinus.

Demoſthenes, vir in ophthalmicis magnae famae: ipſius codex de ophthalmicis citatur a *Simone* Ianuenſi, et *Galenus*, [48]) *Aëtius* [49]) et *Oribaſius* [50]) ſaepe communicant eius praecepta.

47) Medic. VI. 6 ſq.
48) Comp. ſec. loc. V. 10.
49) Tetrab. VII. 12.
50) Synopſ. VIII. 40.

Philon.
Dionyſius.
Evelpis, (maximus medicus ocularius.)
Cleon.
Theodotus.
Nileus.
Philetes.
Hermon.

Interea igitur nequaquam ars quievit, ſed ſine dubio praeſertim a Graecis magno cum ardore et ſolito ſtudio exercebatur et fructus tulit laetos: omnes enim modo dicti viri certe Graeci ſunt, in Latium profecti, ut artem profeſſam ibi facerent: quae tandem, ut ex *Celſo* [51]) diſcimus, maxime *Tryphonis*, *Evelpiſti* et *Megis*, non mediocrium artis profeſſorum ſtudiis, in melius mutatae Romae quoque disciplinam novam accepit. *Celſi* perinde et manu et remediis oculorum morbos curandi praecepta, quamvis Hippocraticas ſaepe redoleant obſervationes et leges, nihilofecius multis et haud vulgaribus ornatae ſunt augmentis. Taceamus enim remedia componendi rationem meliorem et illorum uſum certis legibus definitum et modo perſiſtamus in iis quae manu curantur oculorum vitiis, in oculum ſcilicet exſtirpandi, ut vulgo noſtris vocatur chirurgia, et humorem cryſtallinum vitiatum acu corrigendi et deprimendi et ſic viſum reſtituendi methodo, his temporibus inventa.

Eo

51) De Medic. VII. praef. p. 6ta ed. Ronſſ.

Eo maiori itaque ſtudio et cupidine *Aur. Corn. Celſi*, medici Romani et Caeſaris Auguſti aequalis opus laudatiſſimum, de *Medicina*, in quo univerſam artem medicam egregie et haud ſine verborum venere exhibet et ab ipſo inſtitutis obſervationibus auctam explicat, inveſtigandum commendo, et in illo etiam uberrimus fons ad noſtram de oculorum vitiis veteribus notis hiſtoriam. Graeca quidem exemplaria ſaepiſſime haud mediocri aviditate in uſum convertit et paſſim exſcripſit, ut ex libris de oculis adfectis clarum eſt, tamen vero nequaquam plane alienus eſt a propriis obſervationibus: ſuam quoque ſententiam, de bono vel malo operis alicuius inſtituti ſuoceſſu indicat, ut v. c. ex συμβλεφαρῶν, enſe aegre ſolvendi et curandi patet exemplo. Caeterum vero minime audemus definire, an *Celſus* leges ſtatutas ita tenuerit et artem, qualis ab ipſo deſcribitur, exercuerit.

Claudii Caeſaris tempore, *Scribonius Largus* etiam, haud quidem infeliciter, tamen ἐμπειρικῶς, chirurgiam exercuit et multum in componendis remediis contra oculorum vitia deſudavit, ut ſuis locis videbimus.

C. Plinii Secundi vaſtum et immenſum ingenium et vel rariſſima diligentia, qua ex bis mille voluminibus ſcriptorum romanorum pariter ac graecorum univerſas naturae divitias et varietates amplexus eſt, hanc etiam rei medicae partem, certe quae remedia et herbas in medendis oculorum morbis vi medicatrice praeditas et ad illos commodas,

ex ūſu ſaepe perverſo notas non potuit ſilere, ſed hanc materiem ex aliis operibus illuſtravit et *Dioscoridis Anazarbei* egregios περὶ ὕλης ἰατρικῆς libros, qui aequam ac *Plinii* hiſtoria hic merentur laudem et locum, excerpſit et pro maxima parte transcripſit. Oculorum vero morbos et reliqua quae huc trahi poſſint, vix nisi ſummo pede tangit et fere nihil novi impertit.

Tandem vero poſt *Celſum* fere ducentos annos, *Marci Aurelii* tempore, vir ſummi ingenii et uberrimae fertilitatis et vaſtiſſimae eruditionis exſtitit *Claudius Galenus*, qui univerſam rem medicam vel maxime auxit et ornavit, noſtram autem de oculo cognitionem haud inique illuſtravit. Oculi enim naturam et interiorem quoque ſtructuram eiusque partes iam praecedentibus multo melius et cautius dignoſcit et ut mox videbimus, indicat: vix tamen cum *Celſo* comparandus eſt, cum oculorum vitia ipſa et illis medendi rationem ita tractat fugitivo calamo, ut de illo, qui alioquin verbis ſatis prolixis uti conſuevit, iuſtas commovere querelas, quam panegyricum pangere mallem. Talis igitur viri quantopere deſideramus in ipſa ὀφθαλμιατρικῇ augmenta, comprobamus tamen et valde laudamus quae de natura et oculi ſtructura dicta ſunt et ita utrumque auctorem vel praeſtantiſſimum coniungimus et comprehendimus, cum ubi alter rem ſilet, alter exoptatis ac neceſſariis obſervationibus ſuccurrit. Denique vero maxime dolemus, nos *Galeni* libelli de Oculo ἴδιωμα grae-

cum (cuius verſio latina in eius opp. ed. lat. Baſil. T. III. exſtat), nulla via attingere potuiſſe, ex quo factum eſt, ut quae huc pertinent obſervationes et ex graeca in latinam ſingulari barbarie peſſime verſae ſunt linguam, barbaro-latinis etiam citare et adiungere debuerimus. Equidem vero ut quidem ex pluribus locis cum alibi dictis minime congruis auguror, iſtum tractatum de oculo ſpurium habeo, et illum vix *Galeno* ipſi adſcribere poſſum.

Omnes modo laudati medici et qui *Celſo* κατ' ἐξοχήν ocularii vocantur, aut ipſis ſcriptis aut ab ipſis compoſitis remediis famam et memoriam ad noſtram usque aetatem extenderunt et prolongarunt. Haud pauci vero alii, mihi ex ſimilitudine iuxta Ciceronianos iuris peritos, *graeculi* dicti, quorum virtutes in medendis oculorum vitiis vix certe definiri et ex auctorum relatione poſſunt divinari, ex inſcriptionibus et ſigillis [52]) nobis noti ſunt. His enim ſerioribus iam temporibus, omnino illum laudabilem morem, quem ſupra iam in Aegyptiorum hiſtoria admirati ſumus et de quo

52) *Walchii* inſcript. medic. ocularior. in ei. Antiquit. medic. ſelectis, p. 93.

Triller de variis veterum medic. ocular. collyriis, quorum memoria in priſcis lapidibus inſcriptis adhuc ſupereſt. Viteb. 1772.

Chriſt. Saxe epiſt. de veteris medici ocularii gemma Sphragide prope Traiect. ad Moſam nuper erutа. Trai. 1774.

Herodotum etiam teſtem adhibuimus, iam uſitatiorem et frequentiorem ipſa vero virtute mutatum habere poſſumus, cum chirurgi diverſas iam artis partes exercuerint. Ex *Martialis* enim epigrammate memini medicorum, qui dentibus curam gerebant et qui ipſis palpebrarum pilis proſpiciebant: medicorum ocularіorum numerus autem ita increvit, ut non ſolum ſervi et liberti, ſed quoque alii ingenui quidem, vix tamen artem profeſſi, oculorum curam gloriarentur. Poſteris itaque temporibus, cum his medicorum ὀχλαγωγοῖς et myropolis, noſtro unice, nec arti praeſtantiſſimae addictis, ſimul quoque artis nobilitas exſtincta eſt, ut perſpicue ex more illo indigno medicamenta praeparata pyxidibus incluſa et ſignata per urbis trivias circumferendi et in officinis per plateas exſtructis venalia collaudandi et praedicandi, intelligere poſſumus. De illo itaque tempore *Martialis* [53]) dicere potuit, ubi medicus ocularius forſan ob artis anguſtias profeſſam mutavit artem et ſumtis ſtipendiis ab alio quopiam opprobrium exaudivit:

„Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante.“

Magnus horum medicorum tam vili ſtudio inſervientium ocularіorum numerus, qui illis oblectatur, ex *Walchii* libello I. petere poteſt et illos pro maxima parte *Hallerus* quoque [54]) enumerat. Nos vero minime in illis enumerandis et indicandis hae-

53) Epigr. VIII. 74.
54) Bibl. chirurg. multis l.

reamus, ne laureolam in muſtaceo quaerere ſtudeamus et in virorum doctorum operibus exſcribendis deſudemus. Minime enim eorum nomina ad ophthalmologiae hiſtoriam quid conferre videntur, cum formulae nudae adiecto oculi vitio, ſaepe perverſe definito, ſolum ad nos pervenerunt. Satis eſt ſcire his temporibus, ophthalmologiam apud Romanos potius circumforaneis quam veris, qui rationem in curandis vitiis adhibebant, adſcriptam eſſe, et paucos modo exſtitiſſe medicos, qui in fugandis oculorum vitiis et manu et remediis erant periti. — Summo iure itaque et cum antea dictis convenienter, *Venuſinus* noſter, proverbialiter de re quadam tritiſſima canit: [55])

„Omnibus et lippis notum et tonſoribus eſſe,"

in quo loco, a quibusdam male interpretato, *lippus* ſubſtantive et per metonymiam ſumendus eſt, pro medico oculario, qui lippis oculis, omnigenis collyriis inungendis mederi profitetur. Similiter *Hylas* lippus vocatur apud *Martialem*. [56])

55) Serm. I. 7. 3. — Claſſicus locus eſt ille Plautinus (Amphitruon. IV. 1. 1—5.) ubi in emporiis iuxta macellum et medicina et tonſtrina officina memorantur, in quibus certe etiam ophthalmici erant, tonſoribus amici, ut ex Horatii l. l. cuiusmus.

56) Epigr. VIII. 9.

CAP. II.

DE

OCULI HUMANI NATURA ET PRAESTANTIA APUD VETERES IN UNIVERSUM.

Illis temporibus, ubi ars medica a Diis inventa, in templis a ſacerdotibus unice exculta, ſine omni obſervationis et intellectus ratione exercebatur, et religionis et myſteriorum pars erat, his certe vix nec humani corporis, nec morborum origo atque natura ſacerdotum movebat et allieiebat diligentiam. Mortalium morbi Deorum irae adſcribebantur [1]) et omni modo illos potiſſimum placare ſtudebant, ut morbo liberarentur et omnis naturae vis et efficacia unice ex Deorum mente et voluntate derivabatur. Tandem vero, ubi naturae cauſas inveſtigandi et explicandi deſiderium et εἱμαρμένης intentum ſtudium, cum Graecorum philoſophis eorumque ſcholis, ad quas ex templis transiit ars medica, illuxit, tunc demum etiam prima ad veram rei medicae theoriam rudimenta et fundamenta inclareſcebant atque exſtruebantur: primo enim, ut cum *Celſo* meo loquar, medendi ſcientia, ſapientiae pars habebatur, et morborum curatio et rerum naturae

1) Celſ. de Medic. I. 1. p. 1.

contemplatio ſub iisdem auctoribus nata eſt. Quod cum ita ſit, quid mirum, ſi prima de humani corporis partium natura et oeconomia a philoſophis priſcorum temporum veſtigia derivamus, qui unice in illis explicandis occupati et intenti, ex philoſophia rei medicae initia ducebant; quid mirum, ſi rei medicae eorum temporum inconſpicuam umbram fraterno complicatam obſervamus et intertextam vinculo; quid mirum denique, ſi noſtra quoque tempeſtate eadem iura, quae antiquitas ſanxit atque confirmavit, a recentioris aetatis doctis, qui ſe Naturae philoſophos gloriari haud erubeſcunt, poſcere et ad rem medicam transferre et utramque commiſcere videmus? — Ex iſta igitur potiſſimum cauſa, philoſophorum ratiocinia in eruendis artis medicae theoriis conſulenda ſunt, et ex illis diriguntur atque illuſtrantur: et exinde oculi naturam apud veteres ſcrutaturis ante omnia philoſophorum ſcrinia ſalutanda eorumque opiniones praemittendae ſunt tanquam fundamentum.

In oculi humani dignitatem et praeſtantiam encomia, quae noſtris temporibus clara et perſpicua cuilibet patent et certe ab omnibus ſumma habentur, hic exſpatiari et illa decantare, vix congruum eſſe videtur nec noſtri operis finibus accommodatum. Satis eſt ſcire et indicare veterum quorumdam clariſſimas de oculo opiniones, quae vel ex ipſis verbis, vel ex aliis rebus et cauſis optime intelliguntur.

Oculorum vero praeſtantiam ſummam et cum

nobiliſſimis, arctiſſimum connubium organis, re-
tuſtiſſimi philoſophi uno eodemque ore, iam ex eo-
rum ſede, forma, iam ex vicinitate cum aliis no-
bilibus partibus et alia indole derivabant et intelli-
gebant. Omnes viſum proclamant ſupremum aut
acerrimum ſenſum: „oculis enim, ut cum *Cicerone*
meo [2]) loquar, colliguntur paene innumerabiles vo-
luptates, quae nos ita capiunt, ut unum ſenſum
diſſimili genere delectent et reliquos ſenſus vo-
luptates oblectent diſpares, ut ſit difficile iudicium
excellentis maximae ſuavitatis:“ omnes, ut ex ſe-
quentibus patebit, arctiſſimum cum cerebro con-
nubium intelligunt et oculum habent pro certiſ-
simo et praeſtantiſſimo et ψυχῆς integrae et adfe-
ctae ſatellite atque nuntio. Hinc quoque *Blemor*
Arabs et *Syrenius* e Cypro medicus animae ſedem
in ipſis oculis conſtituerunt: *Thales* vero tantum
inter oculos et aures intereſſe putabat, quantum
inter verum et falſum, a quo *Plautum* video haud
alienum dicentem: [3]) „pluris eſt oculatus teſtis
unus, quam auriti decem.“ Plena itaque ſunt ex
hac potiſſimum cauſa volumina priſcorum iſtis ſig-
nis, quae vel mores, vel animum, vel morbi cuius-
cunque vim atque periculum exprimere dicuntur;
et *Zopyrus* phyſiognomon ſummus apud *Cicero-*

2) De Orat. III. p. 340 ed. Manut.

3) Truculent. VI. 6. 8. — Ὠτῶν πιστότεροι ὀφθαλμοί gr. prov.

nem,[4]) *Socrate* interprete, gloriatur, se hominum mores naturasque ex corpore, oculis et vultu pernoscere profiteri! Imago animi enim vultus est, indices oculi, ut alibi *Cicero*[5]) egregie perhibet. Maxime quoque gloriatur *Cicero*,[6]) Romanos vocem habere, qua concentus mentis et internarum cogitationum exprimeretur et *vultum*[7]) homini unice adnumerat, quo oculi arguti tanquam loqui et statum quempiam exprimere et confiteri possint. Tanta igitur dignitas oculi humani illis imposuit, ut externa velamenta ex cerebri meningibus, internos vero humores ex ipsa cerebri compage exundatos et tanquam destillatos habeant et omnes imo ore cum *Aristotele*[8]) τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν

4) Fat. p. 147 ed. Lambin. Idem Zopyrus ob suam artem derisus in conventu quodam Socraticorum, apud *Cic.* Tusc. IV. 37. §. 80.

5) Orat. III. 59.

6) De Legib. I. 9. §. 27. — Cf. etiam Tacit. Agric. c. 46.

7) *Vultus* vel a volvendo, vel a voluntate, quam saepe prodit, appellatur: hinc tacitus sermo mentis aut imago animi Ciceroni dicitur. Plaut. Aulular. IV. 9. 7. „nam esse bonum e vultu iam cognosco.“ Egregie quoque *Ovidius* (Trist. II. 525.):

„Utque sedet vultu falsus Telamonius iram,
Inque oculis facinus barbara mater habet.“

Graecis ceterum vultus πρόσωπον vocatur.

8) Hist. animal. I. 11. — De sens. et insens. c. 2. p. 1432. — De part. anim. II. 8. p. 1134.

ἐγκέφαλον perhibeant: *Galenus* [9]) vero tantum oculis, divino membro accenſeat vim, ut eorum gratia ipſum cerebrum factum eſſe, aſſerat. Egregiam itaque *Platonis* [10]) habeo opinionem, ſi caput et oculos ob globoſam formam pro praeſtantiſſima ſumit parte et viſum pro primario et optimo Deorum dono habens dicit: ὄψις γὰρ κατὰ τὸν ἐμὸν λογὸν αἰτία τῆς μεγίστης ὠφελείας, γέγονεν ἡμῖν· οὐ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν, οὐδ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν: lepide quoque *Plinius*; [11]) oculi, pars corporis pretioſiſſima et qui lucis uſu vitam diſtinguunt a morte! Quid mirum igitur, ſi *Orpheus* oculum naturae ſpeculum, *Alexander* Peripateticus animi feneſtram, *Heſychius* ſolis portam appellant? quid mirum, ſi in *Ariſtotele* [12]) le-

9) De uſu part. X. 1.

10) Timaeus p. 483. — Similiter *Schillerus* noſter ὃ πάνυ:

„O eine edle Himmelsgabe iſt
Das Licht des Auges“! —

11) Hiſt. Nat. XI. 52.

12) De Mund. c. 1. p. 1202. — τὰ τῆς ψυχῆς ὄμματα Ariſtotelis, Ciceroni etiam mentis oculi ſaepius metaphorice dicuntur: v. c. in Orat. p. 482 ed. Man. — De Orat. III. p. 369 ed. Man. De Legib. 29. — Colum. R. R. III. 8. *Mens* hoc ſenſu mihi ſignificare videtur, rerum formas et effigies non praeſentes, neque oculis neque ullo alio ſenſu peroeptas, nec illis ante contemplatas, ita fingendi et informandi facultatem, ut quaſi ſub oculos cadant. Ex his rerum formis et imaginibus ideae proficiſcuntur, Platone et *Cicerone*

gimus: τὰ θεῖα τῷ ψυχῆς ὄμματι θείῳ conſideranda eſſe? — quid mirum denique, ſi noſtrae religionis vetuſtiſſima praecepta, Deo O. M. tanquam ἀνθρωπείῳ, aut ut theologi dicunt, anthropopathice, oculos praeprimis inter alia membra adſcribunt, qui vero altiſſimi et millies ſole lucidiores ſunt! —

Ob hanc nobilem igitur et praeclaram cum primaria corporis parte adfinitatem et mutuam relationem, oculorum vis cuiuslibet aetatis veteribus vel maxima illuxit: illi itaque iurarunt per oculos, ut ex *Plauto* [13]), et *Ovidio*, [14]) ſeu per oculos aliquid confirmarunt, ut ex *Xenophontis* [15]) κατ' ὀφ-

---

auctoribus (Orat. c. 2.): et ex hac cauſa τὰ ὀμματα τῆς ψυχῆς Ariſtotelis et mentis oculos Ciceronis derivo, et cum Phantaſia Senecae primum ita dicta (Suaſor. 3.) aequos cenſeo et coniungo. Formae enim hac facultate, ſenſu non intelliguntur et percipiuntur, ſed quaſi ratione et intelligentia aut animo fictae continentur et cogitatione tantum et mente complectuntur.

13) Mem. V. 8. 64.

14) Amor. II. 16. 44. III. 3. 13.:

„Perque ſuos illam nuper iuraſſe recordor,
Perque meos oculos, et doluere mihi."

15) Huius autem explicationis commentarius aptus in illo *Ovidiano* (Metamorph. XV. 62.):

„ — — Isque, licet coeli regione remotos,
Mente Deos adiit: et quae natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit."

Pectoris oculi (ὀφθαλμοὶ καρδίας) et tropo vulgari, omnium linguarum et ſcriptorum communi, iidem

ὀφθαλμοὺς καταγοράζειν cuilibet notum eſt: Graecis quoque, ut ex *Arriano* [16]) conſtat, mos fuit, recens tribunatum adeptorum oculos oſculari. Veteres quodlibet quod iis carum erat atque dilectum, non ſemper cordi, ut nobis placet, ſed oculis quoque commendabant, illos itaque quos medituillitus amabant, in oculis ferebant [17]) ſ. geſtabant, [18]) illi erant in oculis, [19]) illi ſalutabantur, mi ocule [20]) et ſalve oculiſſime homo exclamabant. [21]) *Deuteronom.* auctor facer itaque (32. 10.) narrat Deum, Iſraë-

---

ſunt ac oculi mentis: et *Philo* (de mundo condito p. 607) ὅπερ οἱ ὀφθαλμοὶ ἐν τῷ σώματι, τοῦτο ἡ νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ. — Et quid! an mentior, ſi ultra crepidam meam, vexatos illos ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας apud *Paulum* ad Epheſ. I. 18, huc traham, qui vulgo oculi intelligentiae aut ſapientiae vertuntur? πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν, εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, καὶ τίς ὁ πλοῦτος τῆς δοξης της κληρονομίας αὐτου ἐν τοῖς ἁγίοις. —

16) Arrian. lib. I. c. 19. p. 77 ed. Colon. — Alia occaſione: — oculos diffuaviari apud *Cic.* ad Div. X. 27.

17) Cic. Phil. VI. 4. — Quint. fratr. III. 17. — Epiſt. ad fam. XV. 27.

18) Terent. Eun. III. 1. 11.

19) Cic. Tuſc. Q. II. 26. — ad Att. c. VI. 2.

20) Plaut. Curc. I. 3. 47. Ciſtell. I. 1. 53. Stich. V. 5. 24. Trinumn. II. 1. 18. Pſeudol. I. 2. 47. Poenul. I. 2. 157. Perſ. V. 1. 13. Aſin. III. 3. 101. Moſt. I. 3. 11. — mi Cai, meus ocellus iucundiſſimus, Gell. N. A. XV. 7. cf. Catull. L. 19.

21) Plaut. Curcul. I. 2. 28.

lem tanquam pupulam oculi ſui cuſtodiviſſe, et *Davidis* preces ſunt (Pſalm. 17, 8.): ſerva me o Deus tanquam nigram oculi pupulam! — ſimiliter quoque Venus ἐν εἰρωνείᾳ Pſychen nominat pupulam ſuam apud *Apuleium* [22]) et ſervus ancillam apud *Plautum* [23]) pupillam bellulam. Graeci quoque, ut quidem ex *Aeſchylo* [24]) conijcio, ὄμμα quodlibet pretioſiſſimum et ὀφθαλμοὺς βασιλέως, regis ſatellites dixerunt; [25]) et *Cicero* [26]) ſimiliter Corinthum et Carthaginem appellat duos illos ore maritimae oculos, aut villas ſuas, ocellos Italiae. [27])

His paucis igitur, quibus plura adiicere poſſem, praemiſſis, oculi pretium in univerſum laudantibus, iam tempus eſt ipſam rem adgredi et ſingulas huius capitis partes perſequi: et primum quidem de viſus agam facultate.

A. Viſus.

Ex elementorum theoria derivanda eſt *Empedoclis* viſus definitio, ſi putat, elementa ſimilia at-

---

22) Metam. VI. 37.

23) Caſin. IV. 4. 23.

24) Eum. 1007. — Sic etiam: „ubi ſunt iſti, quibus vos oculi eſtis?“ Plaut. Pſeud. I. 2. 46.

25) Xenoph. Cyropaed. VIII. 2. §. 10. 11. ed. Zeun.

26) Nat. D. III. 38.

27) ad Att. XVI. 6. — peninſularum, inſularumque ocelle Catull. XXXI. 2. Negarunt ſe Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos, Sc. Athenas Iuſtin. V. 8. 4.

trahi ab organorum similaribus partibus. Oculum itaque lucidum, aurem aëreum, nares vaporosum, linguam humidum et tactus organon terreum vocat instrumentum, ut ex *Galeno* [28]) et *Aristotele* [29]) coniicio:

„Conspicimus terram terra, liquore liquorem,
Aëre naturam aëream, ignem cernimus igne."

Visus itaque φαινόμενα *Empedoclis* ex lucis effluxa (ἀπορρόαι) rerum oculis percipiendarum et cum internis oculi partibus luce adfinium et invicem coniunctarum explicat. Adhibet quoque naturae divulgatum lumen, quod rebus oculis similibus adhaereat et in ipsos ingrediatur. Ex eadem itaque *Empedoclis* theoria, visus igni mandatus et ad illum reducitur, quae opinio apud veteres ita pervulgata erat, ut *Aristoteles* [30]) perhibere potuerit; ποιοῦσι γὰρ πάντες τὴν ὄψιν πυρός, διὰ τὸ πάθους τινὸς ἀγνοεῖν τὴν αἰτίαν· θιλιβομένου γὰρ καὶ κινουμένου τοῦ ὀφθαλμοῦ φαίνεται πῦρ ἐκλάμπον. Similiter quoque *Cleanthes* apud *Ciceronem.* [31])

Haec vero ipsa *Empedoclis* theoria diu in-

---

28) Dogm. Hipp. et Plat. VII. 5. p. 543. — De oculo c. 6. p. 371.

29) Problem. plur. loc. — De anima I. 2. p. 1373. — Metaphys. II. 4. p. 1259.

30) De sens. et sens. c. II. p. 1395.

31) N. D. II. 15.

tacta et immutata perſtitit, et ab omnibus fere auctoribus adſumta. *Ariſtoteles* multus eſt in illa recenſenda et ventilanda; *Plato* [32]) etiam quodammodo ad illam vergit, dum lumen ex oculis noſtris promanans cum lumine diurno ſimilari penetrante confluxum putat et in unum corpus ſolidum mutatum adhibet. Tenebris itaque intrantibus et viſus obſcurari, oculorum vero lumen effluere ſine ſimili invento lumine, credit. Oculus enim luce plenus et naturae igni: non eo quidem qui ſimul urit et lucet, neque eo qui urit nec lucet, ſed qui lucet nec urit, ſed illuminando ſuaviter diem advenit mundo, ut eſt aethereus et coeleſtis. Oculus dum torquetur, ignis et fulgoris ſpeciem prodit et in tenebris fricatus micat, ardet quoque ira flagrantibus. — De Tiberio Caeſare narrat itaque *Plinius* [33]) ſolo adſpectu vivo et ſcintillanti attonitos rediiſſe milites.

Alio ſenſu oculi fulgentes apud *Horatium* [34]) occurrunt: et *Ovidius* [35]) dum iratam exprimere vult, canit;

---

32) Timaeus p. 483 ſq.

33) H. N. XI. 15. — Similiter Homer. Il. XIX. 16.
— — ἐν δὲ οἱ ὄσσε — δεινόν ὑπὸ βλεφάρων, αἴσετ σέλας, ἐξεφάανθεν.

34) Carm. II. 12. 15. — ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαὶ Hom. Hymn. in Mercur. V. 45. — Aliter, oculi labore flagrantes apibus. Plin. H. N. XI. 45.

35) Art. amat. III. 503.

„Ora tument ira: nigreſcunt ſanguine venae;
Lumina Gorgoneo ſaevius igne micant!“

aut eodem plane ſenſu alibi: [36])

„Lux micat ex oculis, ſpiratque e pectore flamma.“

Ariſtotelis quoque ſenſuum definitiones, ipſusque ergo viſus explicatio, unice ex elementorum ſyſtemate ortae ſunt. Multa itaque argumenta viſus aciem ex aqua pendere variis locis profert. [37]) In oculis igitur videndi inſtrumentum (τὸ ὁρητικὸν) et ipſe viſus eſt aqua: neceſſarium tamen putat quodpiam τὸ intermedium, ſive ſit aër, ſive lumen, inter rem viſam et oculum. Internae vero et externae oculi partes pellucidae ſunt uti aqua, unde lumen intercurrere debet, ſi viſus exiſtere dicitur. Abſciſſis itaque meatibus (ποροῖς) iuxta tempora decurrentibus, lumen evaneſcit, fiunt tenebrae ſicut laterna obſcuratur ubi pellucidum fuerit defumtum. Relictis his ſomniis egregie tamen alio loco [38]) videndi facultatem taxat et derivat ex nervis, ſi dicit: τῶν δε ὀφθαλμῶν αἰσθητήριον ἐστὶ μὲν ὥςπερ καὶ τὰ δ' ἄλλα αἰσθητήρια ἐπὶ πόρων.

Haud diſſimilem et pro maxima parte congruam *Democriti* habeo viſum explicandi rationem, qui humoribus in plures membranas involutis et in illis tanquam in cavo deliteſcentibus, cernendi vim ad-

36) Metamorph. VIII. 356.
37) De ſenſ. et ſenſ. c. 2. p. 1432. — Generat. anim. V. 1. p. 1332.
38) Generat. anim. II. 6. p. 1264.

adſcribit, ut quidem ex *Hippocratis* [39]) verbis evinco: *τὸ τῶν ὀμμάτων ὀρητικὸν ἐν πολυχιτῶνι φολεοῦσθαι ὑγροῦ, ἐνστασίαις ὑπὸ μετώπου, κολασίῃ συνίδρυται.*"

Aliter autem *Hippocrates* [40]) viſum diiudicat et praxin iam adhibere videtur, cum anatomia conſunctam. Illo enim iudice, vaſa tenuia duo ad oculos ex meninge cerebrum involvente excurrunt, quae humorem limpidiſſimum ex cerebro in oculis reſiduum deſtillant et ſic viſum alunt, qui ex aridis humoribus exſtinguitur: *ἡ γὰρ ὄψις τῷ ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου ὑγρῷ τρέφεται!* — Alibi: [41]) viſus eſt naturalis facultas, anima in id quod cernere vult, intenta movetur et incaleſcit: calefacta vero, humido evacuato exſiccatur. Vergit ergo quodammodo ad *Empedoclis* theoriam: *Hippocratis* opinioni adſtipulatur quoque *Plinius*, [42]) ſi dicit: oculi ceu vaſa quaedam, viſibilem eius partem accipiunt atque transmittunt.

Quamvis etiam *Galenus* [43]) nervos opticos et

39) Epiſt. Sect. VIII. p. 22 ed. Foeſ.

40) De loc. in hom. S. IV. c. 2. p. 138 et 139 ed. Maek. *καὶ ἐς τοὺς ὀφθαλμοὺς φλέβια λεπτὰ εἰς τὴν ὄψιν ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου διὰ τῆς μηνίγγος τῆς περιεχούσης φέρονται. Ταυτα δὲ τὰ φλέβια τὴν ὄψιν τρέφουσι τῷ ὑγρῷ τῷ καθαρωτάτῳ τῷ ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου, ὃ καὶ ἐμφαίνεται ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν. Ταυτὰ δὲ τὰ φλέβια καὶ ἀποσβεννύσται τὰς ὄψις, ὅταν ξηρανθῶσι.*

41) De fam. vict. rat. S. IV. II. 11. p. 53.

42) H. N. XI. 54.

43) De uſu part. corp. hum. X. 12—15.

ipſam retinam haud inique deſcribat, ipſorumque nervorum vim atque indolem, quae cum *Herophilo* primum illuxit, bene intelligat et ad videndi facultatem habeat efficaces, nimis tamen tenaciter ſcholae tirociniis adhaeſit, mathematicas hypotheſes ex univerſa natura ad explicandas etiam humani corporis partium functiones et modum quo procedat, transferendi et adhibendi. Ille ipſe vero bonus auctor, ſe talia ex illa potiſſimum cauſa feciſſe, ut Deo iubente ſatisfaciat et naturae iura praebeat, teſtatur. Ipſam igitur partium formam et ſingularem habitum ex ipſis matheſeos legibus et ex *Euclidis* elementis et theorematibus viſum derivandi et explicandi, anſam praebuiſſe, pro certo habeo. Verborum autem ſenſus paululum abſtruſus ipſarumque rerum difficultas et quo fiat modi explicatio, vix totam theoriam, qualis a *Galeno* prolixius definitur, ut hic exponatur, admittunt, unde brevibus illam mihi ſumſi indicandam. *Euclidis* vero theorema fere ſequens: „ſi duae lineae invicem ſe ſecant, in uno ſunt plano, omnisque ſimul triangulus in uno plano: quod igitur ad oculorum partes transfert, ita nempe, ut πόρους ſ. nervos pro lineis rectis, nervorum vero in parte cerebri anteriore originem et concurſum pro plano habeat et exinde nervi utriusque ex uno puncto exortum valde neceſſarium evincat. Et ita quidem de modo quo viſus procedat: aliter vero et cum praecedentibus congrue de ipſa facultate. Nervos autem ſibi decuſſantes ſingulari modo explicat: ob-

lique ſcilicet deſcendunt, ne rumpant utque ſpiritus, qui à cerebro ad utrumque oculum defluit, ſi forſan alter canalis obturatus ſit aut mutilus, in alterum ſine impedimento permeare, et ita viſum poſſit nutrire. Totam denique materiem opticis legibus et figuris illuſtrare atque confirmare ſtudet.

Unanimo igitur fere philoſophorum teſtimonio tria potiſſimum ad viſum perfectum requiri, compertum eſt: organon, quod eſt oculus, obiectum, quod color et τὸ medium, cuius ope fit, viſus, quod eſt aër, ſive aqua ſive ignis aut quod vis aliud corpus diaphanum. Ubi vero iſta tria concurrunt, quomodo viſus ipſe efficiatur, de illo inter ſe gladiantur auctores: hinc qui exiſtimant, radios ab oculis exire ad rem quam cernere capimus eorumque beneficio eam videri: alii, res ad oculos deferri, nequidquam ab his promanare contendunt: illi ſola emiſſione, hi receptione viſum fieri opinantur; quas vero ſingulas philoſophorum opiniones ſigillatim et ulterius illuſtrare, minime aptum puto atque conſentaneum.

B. Anatomia.

a. Partium oculum adiacentium.

Corporis humani ſtructuram in univerſum ſero tandem medicorum ſolertiam attraxiſſe et *Galeni* demum tempore quodammodo perfectiorem evaſiſſe, de illo verba ſuperflua hic proferre nolo, cum veterum volumina erroribus paſſim plena, teſtimo-

nia optima largiri videantur. Admiranda quidem ſunt et vel maximis laudibus exſtruenda *Ariſtotelis* immenſa ſtudia et rariſſima in inveſtiganda animalium corporis ſtructura, diligentia et ἀκρίβεια, quam per omnes animalium ordines transtulit et extendit; tamen vero minime, ubi de oculo conſtructo illum fontem, quod noſtrum eſt, ſalutamus, exſpectationi noſtrae ſatisfacere videtur. Partes enim oculi, cuius naturam alioquin haud imperite dilucidat, vel leviſſima et fugaciſſima tractat et deſcribit manu, et vix externas et maiores maxime perſpicuas, ut infra videbimus, dignoſcit, partes. Quod vero eo magis mirum fieri debet, ſi ex *Chalcidio* [44]) comperimus, *Alcmaeona*, *Pythagorae* diſcipulum et totius anatomiae patrem atque inventorem, iam diu ante *Ariſtotelem*, varios de oculi ſtructura ſcripſiſſe tractatus. Vix tamen in huius ſerioris aetatis auctoris verba iurare mallem. *Hippocrates* [45]) quoque paucus eſt in deſcribendis oculi partibus, et *Celſus* omnem oculi anatomiam brevibus, haud tamen incongruis recenſet, quae cum *Galeno* tandem perfectior exſtitit, minime tamen erroribus ſaepe gravioribus libera, et ut ex omni clariſſime elucet deſcriptione, potius ex bovino ſ. caprino quam humano oculo, deſumta eſſe videtur. Obſtiterunt enim le-

44) Comment. in Plat. Tim. p. 368 ed. Fabric.

45) Hippocr. d. Loc. in hom. S. IV. c. 2. p. 188 ed. Mack.

ges ſanctae medicorum eius aetatis votis, corpus humanum attentius perquirendi: graecorum ſcilicet *Demoſthene* teſte iubebant, corpus humanum poſt mortem cito humo tradere et Quiritium tabulae XII. brevibus obicem protrudunt anatomiae ſtudio, ſi ex *Cicerone* [46]) diſcimus legem: „homini mortuo nullum de cadavere abſcindito membrum, neque cum fuerit, iam combuſtum ex cineribus oſſa legito!“ — nihiloſecius tamen *Celſus* auctor eſt, *Herophilum* et *Eraſiſtratum*, nocentes homines a regibus ex carcere acceptos, vivos incidiſſe et ſpiritu etiam remanente eas ipſas ante a natura clauſas partes conſideraſſe. [47])

1. Supercilia (ὀφρύες.)

Triplici fere ratione, ſupercilia veteribus erant partes haud parvi momenti: ob eorum uſum ad quem a natura facta, dein ob morum et animi et in morbis quibusdam ſignificationem.

Ariſtotele itaque iam monente, [48]) ſupercilia quae bipartita in oſſis compage ſita ſunt (glabellam intelligit), minime partes ſunt inutiles: humores enim a fronte defluentes velut imbrices arcent; ſive ut *Cicero* [49]) ſcribit, defluentem ſudorem a fronte repellunt. Per ſenectutem adeo hir-

46) Fragment. XII. tabul. (ed. Bipont. T. XI. p. 451.)

47) De Medic. I. 1. p. 5 ed. R.

48) Part. anim. II. 15.

49) N. D. II. 57.

ſuta (ita *Virgilius* [50]) et prolixa nonnullis evadunt, ut tondi debeant; [51]) alioquin vero deficiunt, quod vitium formae, ἀναφαλαντίασις, ſ. recentiori auctori Salitium vocatur, [52]) et nunquam ante coitum evenire ſolet. Eorum motus variat; ſunt enim pariter ac alterne mobilia et in iis pars animi; negamus an annuimus; haec maxime indicant faſtum; ſuperbiae alicubi conceptaculum, in corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. [53]) Haud inique itaque *Ovidius*: [54])

„Multa ſupercilio vidi vibrante loquentes;"

aut: [55])

„Verba ſuperciliis ſine voce loquentia dicam."

Hinc ſupercilia tollere de iis dicitur, qui ſibi videntur aliquid, nec a ſuperbia alieni ſunt, apud *Catullum* [56]), elatio oculorum et animi amplitudo autem, improborum peccatum eſt, ut in codice ſacro proverbium perhibet: [57]) et *Davides* [58]) oculis elatum et animo tumentem, odit, nec poteſt

---

50) Eclog. VIII, 34.
51) Hiſt. anim. III, 11.
52) Hiſt. anim. III, 11. — Probl. IV, p. 705. — Plin. H. N. XI, 56. (Levit. XIII. 41, ἀναφάλαντες ἐστι, iuxta LXX.)
53) Hiſt. nat. XI, 51.
54) Amor. II, 5. 15.
55) Amor. I, 4. 19.
56) Proverb. 21. 4. Eccleſiaſt. 23. 4.
57) Pſalm. 101. 5. — 131. 1.
58) LXVII. 46. Cf. Heinſ. ad Petron. c. 30. p. 116.

perferre. — Saepius itaque ſupercilia contracta, deducta, remiſſa, allevata, conſtricta apud veteres memorantur: et *Cicero*, [59]) altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, geſtum fictae gravitatis et de re magna dubitationis exprimere videtur. Alibi [60]) ex oculorum obtutu, ex ſuperciliis remiſſis aut contractis iudicatur. Quae igitur ſuperciliorum vis, aucta magnitudo et qui inde prodit, vultus alienus, cenſorem ſuperciliioſum apud *Senecam* [61]) tanquam ſerium et gravem in alios iudicem effecit. Argute *Iuvenalis* [62]) grandia ſupercilia tanquam pro ſuperbia et faſtu memorat. Inde quoque Jupiter apud *Horatium* [63]) cuncta ſupercilio movet, i. e. nutu gubernat. Et ex iis ipſis ni fallor cauſis, *Strato* animae ſedem in medio ſupercilio quaerit. — Dextrum magis attollitur et magis arcuatum eſt ac ſiniſtrum, [64]) unde etiam apud *Theocritum* [65]) quidam oculum dextrum ſibi ſalire ait, quod Romanis omen erat. [66]) Vitium vero eſt in ſuperciliis, ſi aut immota aut inaequalia diſſident, [67]) Si in rectum excurrunt,

59) In Piſon. c. 6.
60) Offic. I. 41.
61) Epiſt. 123. poſt. med.
62) Satyr. VI. 173.
63) Carm. III. 1. 8.
64) De part. anim. III. 9. — Plin. H. N. XI. 56.
65) Idyll.
66) Plaut. Pſeud. I. 1. 105.
67) Quinctil. XI. 3.

mollem, ſi iuxta naſum inflexa ſunt, auſterum indicant animum: quae circa tempora inflectuntur, deriſorem ſignificant et diſſimulatorem, quae vero tota propendent, invidiae notam praebent. [68]) Curva aut rigida ſupercilia, mala et pernicioſa in morbo. Triſtes et animo adflicti, ſupercilia habent fronte coniuncta, quae ſi divulſa circa naſum et extenſa ſunt usque ad tempora, fatuos indicant, qui ob ſimilitudinem ad porcos referuntur. [69]) — Superciliorum in morbis ſignificatus ex multis conſtat *Hippocratis* locis: curva et rigida, mala et pernicioſa in morbo praeſagiunt: [70]) ὀφρύες ἐπινεῦσθαι, ſymptoma dirum eſt in capite adfecto; [71]) cum cerebro adfecto ſupercilia etiam impendere videntur, quod in aliis capitis doloribus [72]) et in lethargo quoque accidit. [73])

Caeterum *Varrone* [74]) et *Feſto* [75]) auctoribus, ſupercilia Iunoni ſacra habuit ſexus ſequior; pulchritudinis enim ſignum habebatur, ſi invicem ſe contingerent: [76]) ex qua cauſa omni arte, elapſi

68) Hiſt. anim. I. 9. — Totidem fere verbis Plin. H. N. XI. 94 ut infra.
69) Ariſt. phyſiogn. Tom. II. c. 6. p. 1122.
70) Progn. I. 2. p. 59.
71) De morb. II. p. 211.
72) Ibid. p. 213.
73) Ibid. p. 242.
74) R. R. IV. 10.
75) III. 19.
76) Petron. 126. — Claud. in nupt. hon. 267.

pili aptis remediis reſtituebantur. Quibus vero mulieres haud contentae, varia flagitabant remedia, quorum uſu et auxilio ſupercilia pulchritudinem ſummam poſſent adipiſci. Tanti igitur, *Plinius* [77]) addit, eſt decoris affectatio, aut ut *Iuvenalis* [78]) de ſexu illo ſcribit: tanti eſt quaerenda cura decoris, ut tingantur quoque oculi uſu quotidiano. Hic vero oculos (palpebras et ſupercilia ſc.) tingendi mos, antiquiſſimus, ni fallor, ex Oriente transiit in Graeciam et Latium. Orientis enim incolae pulchritudinem ſummam in oculis magnis et patentibus (oculi columbarum), praecipue apud mulieres, quaerebant. [79]). Hoc ſenſu itaque ſumatur iam βοῶπις πότνια Ἥρη apud *Homerum* [80]) et omnes fere arabum poëtae, magnos praeſertim et prominentes oculos plerumque ab Antilope Dor-

77) H. N. XI. 37.

78) Satyr. VI.

79) Cant. cant. Salom. I. 15. V. 12. Ita ſcilicet me auctore, oculi columbarum (ὀφθαλμοὶ ὡς περιστεραὶ ἐπὶ πληρώματα τῶν ὑδάτων) interpretari debent. Alii auctores enim oculos columbarum pro rubris aut pro maxime agilibus habuerunt: at vero perperam; rubri enim et agiles oculi ſecundum ſacrum codicem et Ariſtotelem haud ſine malo pravi animi indicio ſunt, hoc loco autem, quo ſponſae cuiusdam pulcritudo deſcribitur, pro magnis patentibus et prominentibus oculis ſumendi ſunt, quibus revera columbarum genus excellit.

80) Iliad. XIV. 222.

eas ita denominant: *Montanabbi* [81]) poëta arabicus itaque oculos virginum pulcherrimarum, capreolarum oculos appellat. Ut vero oculi maiores et magis patentes evaderent, ab ὀμματογραφοῖς unguentum adhibebatur nigrum, quo supercilia et palpebrae inungebantur, [82]) quod *Dioscoridi* et *Plinio* ex hac causa κατ' ἐξοχην, πλατυόφθαλμον ab eius effectu, γυναικεῖον autem ab ipso usu, vocatur. Largius modum explicat *Iuvenalis*: [83])

„Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos, vitreo bibit ille Priapo!" —

Hunc singularem morem confirmant quoque recentiores scriptores, ex quorum numero *Tavernierum* [84]) et *Arvieum* [85]) legendos indico. *Tertullianus* et *Cyprianus* maxime invehunt in ista oculorum unguenta: et hic advocat: „ungue oculos tuos non stibio diaboli sed Collyrio *Christi:*" *Hieronymus* eiusmodi oculos, orbes stibio fuliginatos vocat, qui a *Iuvenali* [86]) fuligine lippi dicuntur; fuliginem vero *Plinius* [87]) quoque ad ipsa

81) Ged. IX. v. 2.
82) Tertull. de vultu foem. c. 10. — Cf. infra. — Iuven. l. l. eadem confirmat.
83) Satyr. II. 93.
84) Tavernier voyage de Perse, II. 7.
85) D'Arvieux voyage au Camp du grand Emir, en 1664. p. 27. 28.
86) Satyr. X. 130.
87) H. N. XXVIII. 47.

refert καλλιβλέφαρα, ut infra indicavi. Spectat huc etiam *Ovidii* [88]) ille locus:

„Arte ſupercilii confinia nuda repletis,
Parvaque ſinceras velut aluta genas.
Nec pudor eſt oculos tenui ſignare favilla;
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco." —

cuius commentarius legendus eſt alibi, in poëmate illo, ubi medicamina faciei recenſentur. [89]) — Caeterum praeter nigrum colorem, album etiam ad ſupercilia tingenda, adhibitum eſſe, ex *Athenaei* [90]) loco auguror. Ille enim de Aſiae regum luxu et voluptatibus loquuturus, praeter Sardanapali veſtitum ſuperbum et effeminatum, ſupercilia et totam faciem ceruſſa picturatam (ἐψιμυθιωμένους ὀφθαλμούς) etiam recenſet.

2. Palpebrae (βλέφαρα.)

Quae animal pariunt, geminam habent palpebram et utramque connivere poſſunt; omnium vero maxime homo, ut quae incidant, palpebris prohibere poſſint: idque non ex voluntate ſed natura iubente. Homo vero frequentius nictat (σκαρδάμυσσει), ob cutem tenuiſſimam, ex cute enim ſine muſculis conſtant, unde vulnere diviſae coaleſcere non poſſunt. [91]) Quorum oculi palpebris

88) Art. amat. III. 200.

89) Ovid. opp. ed. Bipont. I. p. 351. v. 51 ſq.

90) Deipnſ. XI. 7. p. 528 ed. Caſaub.

91) Hiſt. anim. I. 13. — Part. anim. II. 13.

obducti, ii illis conniventibus dormiunt,[92]) et ex ſomno, temulentia et capitis gravedine aegre attolluntur.[93]) — Sic fere etiam *Plinius*:[94]) aliter autem *Galenus*:[95]) hic enim ſophiſtas, qui motum voluntati non ſubiectum putabant, ergo etiam *Ariſtotelem* vehementer carpit, et longis ambagibus contrarium bene explicat: palpebrarum itaque motum et muſculos voluntati ſubiectos primum adſumit, quibus aut extendantur aut flectantur: muſculum orbicularem in cantho interno oriundum et ipſum ligamentum palpebrale internum indicat. Muſculos tamen ſuperiori tantum neceſſarios putat, cum inferior immobilis ſit. Palpebras καμπύλας, quae *Hippocrati*[96]) peſſimum morbi ſignum et ἤλωσιν, ex muſculis convulſis et ex tarſo continue attracto, derivat. Palpebra inferior, quae Romanis[97]) etiam cum parte ſubiecta gena vocatur, *Galeno* monente, immobilis eſt, ſuperiori minor, oculo ſemper adpreſſa, ut excreta omnia facilius exprimere poſſit: *Cicerone* iudice palpebrae inferiores ab inferiore parte oculum tutan-

92) H. anim. IV. 10.
93) Gener. anim. II. 6.
94) H. N. XI. 57.
95) De uſu part. X. c. 9. 10.
96) Coac. praenot. 8. 6. p. 158 ed. M. (βλεφαρίδων καμπυλότης.) Progn. II. p. 59. — Palpebrae et ſupercilia ſi pervertuntur, mortis ſignum. Celſ. de Med. II. 6. p. 97.
97) Cic. N. D. II. 57. — Plin. H. N. XI. 57.

tur et leviter eminent. Palpebras ſuperiores *Plato* [98]) utiles putat ad lumen ſuperfluum prohibendum et conſervandum; et *Cicero* [99]) palpebras nominat tactu molliſſimas, tegumenta oculorum, ne laederent aciem, aptiſſime factas et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas et ita plane comparatas ut identidem fieri poſſet cum maxima celeritate. In typho frequentiſſime palpebrae nictant.[100])

Iam vero dum de palpebrarum uſu medico earumque oeconomia apud veteres ago, nequaquam ritum ſcitu digniſſimum ſilere poſſum, cum exinde etiam oculi praeſtantia, quam habuit, priſcis temporibus, evinci videatur.

„Morientibus nempe oculos operire, rurſusque in rogo patefacere, Quiritium ritu ſacrum erat: ita more condito ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas fuerit, et coelo non oſtendi, nefas.“ [1]) Exinde itaque *Virgilium*, [2]) tanquam ψυχοπομπὸς:

„Dat ſomnum adimitque et lumina morte reſignat.“

Huc quoque *Varronis* apud *Nonium* in ſigillo pertinent locus: „contra autem lex Maevia eſt in pietate, ne filii patribus luce clara ſigillent oculos:“

98) Timaeus. l. l.

99) Cic. l. l.

100) Hippocrat. d. intern. adf. S. V. c. 45. p. 376 et al. locis.

1) Plin. H. N. XI. 55.

2) Aen. IV. 244.

quod vero ipſum *Valerio Maximo* [3]) ſupremum oculorum officium vocatur, ad quod forſan etiam, ſupremum in funere manus *Ovidii* ſpectat. [4]) Erat enim parentibus in votis ut a liberis hoc officium contingerent: ex quo voto Penelopes dicta interpretor: [5])

„Di precor, hoc iubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos."

Idem ſed inane votum in Liviae Auguſtae de morte Druſi filii in Germania defuncti ineſſe vult luctus acerbis querelis, auctor incertus, dum Livia loquitur: [6])

„Atque utinam Druſi manus altera et altera fratris
Formarent oculos comprimerentque meos."

Iam vero redeo ex parvo diverticulo ad palpebras ipſas et quidem ad earum partem extremam, in quem abeunt marginem incraſſatum et compactum, qui a *Galeno* [7]) ni fallor primum παρσὸς

3) V. Maxim. III. 6.

4) Metam. IX. 391. Ex pont. ep. VII. Lib. 1. 29:
Ergo, ergo nec lacrimas moritura videbo:
Nec, mea qui digitis lumine condat, erit?
Ovid. Heroid. ep. X. 119.
— — — Nec cum clamore ſupremo;
Labentes oculos condet amica manus?
Ovid. Triſt. III. 43.

5) Ovid. Heroid. epiſt. I. 101. — Virg. Aen. IX. 487. — cara lumina conde manu. Ovid. Art. amat. III. 742.

6) Conſolat. ad Liviam Aug. v. 159 in ed. Bipont. T. I. p. 366.

7) De uſu part. X. 7.

vocatur. Ille vero tarſum duplicem habet, maiorem et minorem, ſ. ſuperiorem et inferiorem, et ut totam palpebram pro perioſtii deſcribit parte duplicata convexa, quae claudat et conſtringat oculum. Huius tarſi partes ſunt *cilia* (βλεφαρίδες), quae homo unice in utraque palpebra, *Ariſtotele* iam auctore, habet, [8]) quae vero in aliis animalibus, ſimia excepta, [9]) modo ſuperiorem obveſtiunt; in volucribus tamen iuxta *Plinium* [10]) inferior etiam palpebra ciliata eſt. Haec vero cilia, extremo palpebrarum ambitui inſerta, [11]) prominent valli inſtar et ita, ne quid incidat, prohibent, et innituntur ſummis venis. [12]) Ita fere *Tullius* [13]) etiam eorum uſum eleganter exprimit, ſi dicit: „munitaeque ſunt palpebrae tanquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, ſi quid incideret, repelleretur et ſomno conniventibus quam oculis ad cernendum non egeremus, utique tanquam involuti quieſcerent.“ Cum utroque congruos video *Plinium* [14]) et *Galenum*, [15]) qui his pilis animalcula occurſantia, pulvis et arena et q. a. ſ. prohiberi credunt. *Plinio* [16]) cilia etiam

8) Hiſt. anim. II. 1. et 14. — De part. anim. II. 14.
9) Ibid. II. 8.
10) H. N. XI. 56.
11) Hiſt. anim. I. 9.
12) Ibid. II. 15.
13) N. D. II. 57.
14) H. N. XI. 56.
15) De uſu part. X. 7.
16) H. N. XI. 56.

audiunt palpebrae, quae a mulieribus quotidie infectae tingebantur ex decoris infuperabili affectatione et cupidine. Ad hunc uſum adhibebantur ſic dicta φαρμακὰ καλλιβλέφαρα, quae *Plinio* [17]) et *Dioscoride* [18]) teſtibus v. c. ex roſarum foliis (petalis) uſtis, croco aut ſtibio, aut ex palmarum nucleis, admixto nardo, [19]) conficiebantur. Et antecedentibus vero iam noti ſunt circumforanei illi medici ſ. potius vappae, qui illo munere fungi ſolebant et palpebrarum pilis unice proſpiciebant.

Glandulas palpebrarum a *Meibomio* cognominatas *Galenus* [20]) indicare videtur, ſub unctuoſis illis corpusculis, quae pinguedine ſua ad palpebras emolliendas a natura facta ſint, quaeque ſi ultra magnitudinem naturalem augeantur, ὑδατίδας ſic dictas praebeant, quae infra illuſtrantur.

Ariſtoteles [21]) optime iam *canthum externum et internum* (κανθοὶ δύο μὲν πρὸς τῇ ῥινὶ, δύο δὲ πρὸς τοῖς κροτάφοις,) ergo naſalem et temporalem, qui ab *Hippocrate* [22]) et *Galeno* [23]) etiam maior et minor vocatur, dignoſcit: illum vero qui iuſto magis patet, maleficis proprium et qui iuxta naſum tan-

17) H. N. XXI. 53.
18) Dioſc. IV. 52.
19) Plin. H. N. XXIII. 51.
20) De uſu part. X. 7.
21) Hiſt. anim. I. 9.
22) De carn. et princ. c. 6. p. 246.
23) De uſu part. X. 8.

tanquam pectinem carneum continet, pro malitiae habet ſigno.

Membranam ſemilunarem (palpebram tertiam) *Ariſtoteles* [24]) in volucrium oculis bene dignoſcit, ut quidem ex eius verbis coniicio: σκαρδαμύττουσι δὲ οἱ βαρεῖς ὄρνιθες, τούτῳ (βλεφαρῷ) οὐ, τῷ δὲ ὑμένι, διὰ τὸ βραδεῖαν μὲν εἶναι τὴν τούτου κίνησιν, δεῖν γὰρ ταχεῖαν γίνεσθαι. Caeteris autem animalibus illam membranam denegat et illam avibus, ad colligendos humores, neceſſariam putat, qui aciem viſus perfectiorem redderet, his animalibus propriam.

Caruncula lacrymalem, me quidem iudice, *Ariſtoteles*, ut modo vidimus, pectinem carneum (κτένες κρεώδεις) vocare videtur, forſan ob molem auctam magis perſpicuam. *Celſo* [25]) primum caruncula in oculi angulo, *Galeno* [26]) corpus carneum vocatur: pro inutili is habet parte et pro foraminis operculo, per quod excreta oculi in nares defluant et medicamenta ocularia inuncta in hanc partem exſpuantur. Meatum quoque ab angulo in nares exeuntem, qui forſan ductus naſalis eſt, adnotat, per quem excreti humores evacuentur. Lacrymas per nares permeare poſſe et ſolere, id iam *Hippocrati* notum. Caruncula vero ad agilitatem et ſymmetriam quid conferre *Gale-*

24) De part. anim. II. 13.
25) De Medic. VII. 7. p. 627. ed. Ronſs.
26) Galen. l. l.

nus opinatur: illa ficca enim vel maxime oculi motus impediri.

Glandulas lacrymales, alteram ſuperioris partis oculi, alteram inferioris, iam indicat *Galenus*, quae meatibus ſatis perſpicuis humorem ſtillent in oculos, ſimiliter ac glandulae, quae linguae radici ſubiacentes, ſalivam in oris caveam derivent. Nihilofecius tamen male has glandulas aeque ac caruncularn ad oculum movendum capaces habet.

β. Globus oculi (τὸ ὄμμα.) [27])

In antecedentibus iam, dum de palpebris verba fecimus, *Ariſtotelis* opinionem de illarum

27) Variis maxime Hippocratis et Ariſtotelis locis edoctus. nunc perſuaſum habeo, τὸ ὄμμα graecorum, organon viſus proprium, exceptis partibus illud obtegentibus; τὸν ὀφθαλμὸν vero, illud ſimul cum externis integumentis ſignificare et paſſim modo promiſcue ſumtum, abuſum eſſe. Latini verbis utramque partem haud discriminant, et graeci etiam, ut ex Platonis et Ariſtotelis locis patet, ſubinde aut de oculo ipſo, aut περὶ τῆς σφαίρας τοῦ ὄμματος, ex quo globus oculi apud Celſum factus eſt, loquuntur. Noſtra anatomiae praecepta dum immerito Platonis et Ariſtotelis auctoritatem ſilent, bulbum oculi, Bauhino (theatr. anat. l. 2. c. 32.) primum ita dictum adſumſerunt, qui vernacula lingua Augenzwiebel, Augapfel, rectius Augenkugel denominandus eſt. Nos igitur iuxta priſcorum et Halleri (elem. phyſiol. T. V. 1. 16.) auctoritatem, globum oculi retineamus, bulbique ineptam ſimilitudinem reiiciamus.

motu, utpote voluntati haud ſubiecto, indicavimus, nunc vero illae partes, quae oculum regunt et dimovent, ſuperſunt. Oculorum vero motus, ut per ſe patet, cuiuslibet ſani oculos non fugit; non vero cauſae ſtatim obſervantibus ſubiere. *Ariſtoteles* [28]) oculi varios quidem intelligit motus, et in illorum cauſis explicandis deſudat, ſtrabismum quoque interpretari et quidem haud infeliciter periclitatus, ubique tamen oculum habet ἀῤῥιγότατον: ubique oculum deſcribere, qui ſe aegre ac globus circa axin vertat, et nervum opticum ad motum capacem et neceſſarium habere videtur. Quin alio loco, [29]) ipſis verbis perhibet, oculum musculis plane carere (ὁ ὀφθαλμὸς σαρκὸς γὰρ οὐθὲν ἔχει) et exinde oculum mobilem, nunquam rigeſcentem, accipit. Nihilofecius autem alibi [30]) oculum appellat τὸν εὐκινητότατον, et *Ovidius*: „Os ſublime dedit coelumque videre iuſſit et erectos ad ſidera tollere vultus.“ Egregie quoque de oculorum ſede *Cicero*: [31]) „Sunt enim e terra homines non ut incolae atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque coeleſtium: quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Oculi enim, tanquam ſpecula-

28) Probl. Sect. 30. p. 1020 ſq. — Num fingo, num mentior formas eas, quibus oculi iucunde moveantur? *Cic.* Tuſc. III. 20. §. 46.

29) Probl. Sect. 31. p. 1025.

30) De ſenſ. et ſenſ. c. 2. p. 1431.

31) N. D. II. 57.

tores altiſſimum locum obtinent.“ etc. *Celſus* quoque [32]) ne verbum quidem de muſculis habet, qui a *Galeno*, [33]) quantum ſcio, primum et quidem egregie deſcribuntur. Illo enim iudice, oculus quatuor habet motus, qui a muſculis diriguntur: unus, quo intro verſus nares ducitur (m. rectus internus, ſ. bibitorius); alter, quo extus verſus canthum parvum trahitur (m. externus, ſ. indignatorius); tertius, quo attollitur (m. ſuperior, ſ. attollens); quartus, quo deprimitur, (m. rectus inferior, ſ. deprimens.) Omnes vero hi musculi aponeuroſes habent ſ. in tendines abeunt. Praeterea alii duo, oblique poſiti, quorum ope oculum circumagere poſſumus, (m. obliqui, ſuperior et inferior.) En! ſic *Galenus* iam oculi musculos omnes bene indagavit! — quibus alio loco, [34]) ubi hi iterum enumerantur, ſeptimum addit, nervum opticum confirmantem et moventem musculum.

Iam vero de *tunicis* oculi, quae *Cicerone* [35]) teſte, a natura pellucidae factae ſunt, ut per eas cerni poſſit, firmae vero, ut continerentur, dicendum eſt.

De oculorum tunicis veteres multum ri-

---

32) De Med. VI. 6. n. 13.
33) De uſu part. X. 2. — De muſc. diſſect. V. p. 88. — De oculo c. 4.
34) De oculo c. 4.
35) N. D. l. l.

xati ſunt, et plurimi inter ſe diſcrepant. *Ariſtoteles* [36]) in oculo modo albam et nigram dignoſcit partem, de quibus infra. *Hippocrates*, alio loco [37]) plures (πολυχίτων), alio autem tres oculo adnumerat. [38]) *Celſus* duas, et *Plinius* [39]) ſine dubio ex *Hippocrate* multas at tenues dignoſcit tunicas. Quas auctorum de oculi tunicis varias et diſcrepantes opiniones ipſe iam *Galenus* taxat et ſatis bene dilucidat, et fere ita emendat. [40]) Quidam ſeptem, quidam ſex, alii quinque, alii tres, alii duas tunicas in oculo inveniendas eſſe, tradidere. Qui igitur ſeptem tunicas tenent, retinam ſimul computant; ſecundinam, ſcleron, arachnoideam, uveam, corneam, coniunctivam. Qui quinque accipiunt, ii arachnoideam non pro tunica, ſed pro humoris cryſtallini parte habent: qui quatuor tuentur, illis coniunctiva non tunica ſed oculi ligamentum eſt et retinam et arachnoideam excludunt: tres eſſe dicentes, uveam et ſecundinam pro una habent: qui duas, ſcleron, ſecundinam, corneam unam proclamant. — Iam vero de ſingulis.

Membranam coniunctivam, *Galenus* [41]) vocat

36) Hiſt. anim. I. 9.

37) De carn. et princ. c. 6. p. 248. (πολλαὶ δὲ ταὶ δέρματα.)

38) De loc. in hom. S. IV. p. 138.

39) H. N. XI. 54.

40) De oculo c. 4.

41) De uſu part. X.

ſextam oculi tunicam, durae infertam, in quam muſculorum oculum moventium aponeuroſes inſeruntur. Septima aut eadem, aut muſculi, aut pinguedo. His tunicis perioſtei prolongationibus, oculus confirmatur tanquam ligamento.

M. ſclerotica et cornea, ab *Ariſtotele* [42]) et *Hippocrate* [43]) plerumque oculi album (τὸ λευκὸν τοῦ ὀφθαλμοῦ) aut externa membrana [44]) vocatur, quae maxime compacta (παχυτέρη) [45]) et pro maxima parte concolor ſibi eſt et ſimilis, craſſa vero et pinguis, ne humores interni coëant. [46]) A *Celſo* et *Galeno* [47]) κερατοειδὴς (cornea) ob ſimilitudinem cum cornu nominatur et ab illo tanquam craſſiſſima, pupulo loco extenuata; ab hoc autem, a dura meninge cerebri derivatur et ad humorem cryſtallinum confirmandum et ad externas iniurias prohibendum facta declaratur. Similiter quoque *Plinius*, [48]) qui illam tunicam calloſam dicit, et *Cicero* [49]) eius uſum comprobant. Quamvis etiam

42) Hiſt. anim. I. 9.

43) De carn. et princ. S. III. 6. p. 249. — τὸ δὲ ἄλλο περὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς λευκὸν, κρέας ἐστὶν. Equidem vero potius loco κρέας κέρας legere mallem: κρέας enim vix Hippocrati eſt verbum uſitatum, cum fere ubique σὰρξ occurrat.

44) Τὸ ἐκτὸς δέρμα Ariſt. l. c.

45) De loc. in homin. S. IV. 2. p. 138.

46) Hiſt. anim. I. 10. — De ſenſ. et ſenſ. 2. p. 1431.

47) De uſu part. X. 3. — De oculo c. 3 et 4.

48) H. N. XI. 54.

49) N. D. II. 57.

dura ſit, tamen protinus ſimul pellucida ad ſplendorem transmittendum opportuniſſima ſit illo loco, qui pupulam obtegit, tanquam cornu derafum et extenuatum. Ne vero tunica cornea per foramen (pupulam) humorem cryſtallinum tangat, opifex providit, hanc corneae partem foras longius abducens, ſimul vero humorem quemdam limpidum et tenuem, ovorum albumini ſimilem cryſtallino circumfundens et tertio praeterea ſpiritu aëreo et ſplendido totum pupulae locum explens (humor aqueus camerae oculi anterioris et poſterioris). Ipſam vero hanc tunicam, proprie ſic dictam corneam, rugoſam fieri ex ſenectute, iam *Ariſtoteli* [50]) et *Galeno*, [51]) ut infra videbimus, notum eſt. Illo loco *Ariſtoteles* egregie corneam noſtram taxat, quae ei tunica eſt ſuper pupulam praetenſa: „eſſe vero debet pellucida, tenuis, alba et laevis: tenuis, ut lumen recta via inferri poſſit; laevis, ne rugis obumbret, ob quam rem ſenes acute cernere non poſſunt: alba vero, quoniam nigrum pelluciditati contrarium eſt. Caeterum *Hippocrati* [52]) cornea cum ſubiecto iridis circulo, cui reſpondet, λαμπηδών etiam vocari videtur.

Tunica chorioidea, *Galeno* [53]) auctore, quoniam χοριοῦ inſtar plurima vaſa habet collecta, nomen habet, vera eſt tunica et antice copiam vaſo-

50) De gener. anim. V. 1. p. 1333.
51) De uſu part. X. 6.
52) Coac. praenot. c. 6. p. 158.
53) Ibid. X. 3.

rum tenuium adiacentium concretam habet (orbiculus ciliaris?) palpebrarum ciliis quoad directionem fimilem. *Hippocrati* [54]) haec tunica, intermedia f. tenuior audit. Intra illam alia, ut *Galenus* bene adiicit, recondita eft.

Tunica ἀμφιβληστροειδὴς f. retiformis, t. retina, a retis fimilitudine ita dicta, vitreum et cryftallinum humorem includens, nec colore, nec fubftantia tunicae adfinis; ubi enim a reliquis adiacentibus disiuncta, in unum acervulum conïicitur, tunc revera cerebri partem exemptam refert. Eius utilitas vel maxima eft et primaria, quoniam humori vitreo alimentum advehit. Arterias enim venasque multo crebriores et maiores habet quam moles eius pofcere videtur.

Tunicam arachnoideam Herophilus, ut quidem *Celfus* refert, primus diftinxit, tenuiffimum, infra uveam latentem, quae cavo continet quoddam quod a vitri fimilitudine ὑαλοειδὴς Graecis vocatur. Illam itaque pro tunica hyaloidea humorem vitreum includente quin habeam, plane non abfum. Similiter *Galenus* [55]) quoque noftram defcribit, inter corpus vitreum et cryftallinum *indicat* et cum tela aranearum aut cortice fubtiliffimo cepae confert. Dubius vero haereo, ad quam referenda fit proprie fic dicta tunica, χιτὼν apud *Hippocratem:* [56]) χιτῶνα δὲ καλέομεν, τὸ ἐνεὸν ὡς-

54) De loc. in hom. Sect. IV. 2. p. 138.

55) De uſu part. X. 2.

56) De carn. et pr. S. III. c. 6. p. 249.

περὶ δέρμα, ἐστὶ δὲ οὐ μέλαν ὄψει, ἀλλὰ λευκὸν διαφανὲς, τὸ δὲ ὑγρὸν κολλῶδες. An igitur haec quoque noſtra tunica arachnoidea?

Tunica coerulea, ῥαγοειδὴς *Galeno* [57]) dicta, uvaeformis ſ. uvea, ob uvarum ſimilem laevitatem externam et internum mucum ita dicta (pigmentum nigrum), antice perforata eſt foramine, pupula dicto. Alibi [58]) uveam tribus de cauſis neceſſariam habet, ſc. ut corneam nutriat, quae ſine vaſis eſt, ne cornea dura noceat humori cryſtallino, et demum nigredine ſua lumen concipiat, quod per foramen ingrediatur. Uvea *Celſo* [59]) vocatur tunica χοριοειδὴς, concava, tenuis, modico foramine pertuſa, quae cum *Galeni* chorioidea non commutanda eſt. Huius tunicae pars antica eſt

Iris proprie ſic dicta. Variis autem aeque ac pupula, qua pertuſa eſt, gaudet nominibus. Qui ab externo adſpectu, tanquam ex habitu oculi diſtinxerunt, illis iris, quae a *Galeno* primum ita vocatur et ab uvea tunica dispeſcitur, una cum eius foramine (pupula) τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ audire ſolet. Id vero ex multis *Ariſtotelis* et *Hippocratis* locis perſpicuum, maxime ex illo patet loco, [60]) quo talpae oculi recenſentur et de illis dicitur: ἔχουσι γὰρ τὸ μέλαν καὶ τὸ ἐντὸς τοῦ

57) l. l. c. 4.
58) De oculo c. 4. p. 367.
59) De medic. VII. 7. n. 13. p. 432.
60) Hiſt. anim. IV. 8. p. 912.

τερὴς nominatur. Bene caeterum *Cicero*: [72]) „acies ipſa, qua cernimus, quae pupula vocatur, ita parva eſt, ut ea quae nocere poſſint, facile evitet."

Illa vero oculi pars, priſcis τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, κατ' ἐξοχήν dicta, quam cum *Galeno* [73]) iridem vocamus, ab antiquiſſimis temporibus maximi erat momenti; et quoad eius colorem, oculi dividebantur in tres claſſes primarias: caeſios (γλαυκόμματα), nigros (μελανόφθαλμοι), et caprinos *Plinio* dictos (ὄμματα αἰγωπά). [74]) Optime enim priſci obſervarunt philoſophi, vel maxime curioſi, τὸ μέλαν in oculis valde variare, aut ex vitio aut ex natura, quas varietates *Ariſtoteles* ſatis lepide iuxta leges ſuos expoſuit et interpretatus eſt. Illo enim obſervante [75]) τὸ λευκὸν oculi ubique ſibi conſtat, τὸ μέλαν [76]) vero ſic dictum variis ſubiectum eſt mutationibus: aliis enim atrum, aliis admodum caeſium (σφόδρα γλαυκόν, aliis dilute coeruleum (χαροπόν), aliis caprinum ſ. rufeſcens (αἰγωπόν). Solus vero homo oculis gaudet varie coloratis; reliqua enim animalia, equo excepto, unicolores habent oculos, boves nimirum nigros, oves aquarios (ὑδαρεῖς): aliis itidem fami-

72) N. D. II. 57.

73) De uſu part. X. 2.

74) Ariſt. probl. Sect. X. p. 887. — Capris enim proprii ſunt hi oculi. Gen. anim. V. 1. p. 1332.

75) Hiſt. anim. I. 10.

76) Generat. anim. V. 1. p. 1332. — Ex hoc l. Plin. H. N. XI. 53.

catur). Aliis locis etiam τὰς κόρας σμικροτέρας f. etiam εὐρυτέρας indicat.[68]) Mydriaſin *Celſus* iam deſcribit, de qua autem ſuo loco. Aptius *Galenus*[69]) hunc motum intelligit, et pupulam dilatatam ac veluti inflatam indicat, altero oculo clauſo, altero aperto: illum tamen male ex ſpiritu inter corneam et lentem cryſtallinam derivat; obſervavit quoque pupulam anguſtiorem fieri, ſi ab interno illam tangimus et ex ſpiritu deficiente φθισιν pupulae f. συνιζησιν exoriundam credit. Scillae (κρομμύου) caeterum ſucco pupula contrahi, *Ariſtoteli:* Anagallidis vero dilatari *Dioscoridi* et *Plinio* notum eſt, ut infra cap. 4. uberius indicabimus.

Iridis circulum maiorem, de quo veteres haud incongrue dixerunt omnes oculi tunicas concurrere ibique vaſis plurimis ſcatere, *Hippocrates*[70]) primum dignoſcere videtur, ſub στεφανῆς τοῦ ὀφθαλμοῦ nomine, et iubet hanc coronam in radendis palpebris vitare. Ita quoque *Galenus*[71]) circulum illum ubi τὸ nigrum cum albo concurrit, στεφάνην vocat, quae ſi probe diſſecatur, circulos 6—7 invicem incumbentes praebere dicitur (corpus ciliare?). Iris quoque apud *Plinium* orbis pupillam circumdans aut aliis γραμμὴ κυκλο-

68) Praedict. S. II. 12. p. 134.
69) De uſu part. X. 5.
70) De viſu c. 4. p. 41. ed. Jugl.
71) De uſu part. X. 2.

rigi, perhibet. [81]) Qui ergo auſtralem inhabitant, potius ſunt μελανόφθαλμοι; boreales vero incolae (πρὸς ἄρκτον) γλαυκώματα habere ſolent: calor enim internus a frigore externo ne exeat prohibetur et reprimitur. Hanc vero *Ariſtotelis* obſervationem, ab *Empedocle* translatam, omnino ſuis numeris abſolutam et commodam habeo: congruit etiam *Plutarchus*, [82]) qui Teutonibus ὀφθαλμοὺς χαροποὺς adſcribit: χαροπὸν colorem vero cum Lini uſitatiſſimi flore confert; *Tacitus* [83]) quoque, „truces et coerulei oculi Germanis.“ Oculos χαροποὺς itaque minime, ut quibusdam placuit, fulvos aut rufos vertere mallem, qui proprie oculi ſunt laetitia pleni (χαρὰ et ὄψ, quaſi χαρώπες: ſunt enim boni animi virtutisque cuiuslibet indices, *Ariſtotele* obſervante. [84]) Sed potius mihi ſignificare videntur dilute-coeruleos, aut ut *Plinius* qui *Ariſtotelis* verba exſcripſit, ravos, [85]) caeſios ſ. glau-

81) Probl. Sect. XIV. quaeſt. 6. p. 923 et 924.

82) Vit.

83) De morib. Germ. c. 4. — Seribus, Chinae forti nationi, *Plinius* (VI. 24.) rutilas comas, coeruleos oculos, oris ſonum trucem adſcribit, et Solinus (c. 15. p. 34.) de Albanis ad Caſpium mare populis; Glauca oculis ineſt pupula: ideo noctu plus quam die cernunt.

84) Phyſiogn. p. 1122.

85) Color *ravus* dubius eſt nec ſatis definitus. Feſtus: ravi coloris appellantur, qui ſunt inter flavos et caeſios, quos Plautus vocat raviſtellos. Nonius, ravum,

cis proximos, ut iam ex *Plutarcho* definivi et conſtitui. Ex eadem itaque ratione apud *Theocritum* occurrunt et Γλαυκωπίδι adſcribuntur ὄμματα χαροπώτερα: minus apte itaque *Cicero* [86]) caeſios oculos Minervae, coeruleos eſſe Neptuno verbis ipſis indicat. Levem igitur coloris differentiam philoſophus ſpernit, quam naturae curioſus bene dignoſcit, [87]) dum oculos μὴ γλαύκους ἀλλὰ χαρόπους εὐψύχους vocat, dumque alio loco [88]) ὀφθαλμοὺς γλαύκους et χαροποὺς diſtinguit. *Hippocrates* [89]) quoque hydrope laborantibus impertit vulgo oculos χαροπούς, qui alio loco [90]) κόρας γλαυκουμένας minime laudat. — Oculi autem *Ariſtoteli* αἴγωπες dicti [91]) ſunt rufeſcentes caprarum generi proprii, et mores optimos indicare et acie acerrima excellere dicuntur.

Quos omnes multifarios iridis colores *Celſus* [92]) ex lentis cryſtallinae, quae ei corpus ὑαλοειδὲς vocatur, colore derivat: *Ariſtoteles* vero

---

fulvum habet: et *Cicero* (Acad. IV. 33.) „quia nobismetipſis tum coeruleum tum ravum videtur.“

86) Cic. N. D. I. 30.

87) Phyſiogn. p. 1122.

88) De gen. anim. V. 1. p. 1332.

89) De morb. vulg. Sect. VII. 11. 5. p. 122, ed. Foeſ.

90) Praedict. II. 12. p. 134, ed. M.

91) Hiſt. anim. I. 10. — Romani vocem, quae ſecundum graecorum αἴγωπον fictum ſit, habere non videntur: ſit ergo mihi caprinus, quod aliis rufeſcens eſt.

92) De Medic. VII. 7. p. 432.

laudatiſſimus *Φυσιογνώμων*. ad animi indolem definiendam adhibet: [93]) aterrimi ſcilicet oculi timidos, minus atri, qui ad brunneum iam vergunt, bonos honeſtosque: caeſii ſ. albo proximi fere eosdem ſignificare dicuntur homines. Coerulei, nec nimis patentes corporis fortis et maſculi ſignum praebent, [94]) iidem etiam, ſi humidi ſunt, ingenium produnt: [95]) illis gaudent ſemper *magnanimi* (*εὔψυχοι*) unde ad leones et aquilas accedunt: nitido-brunnei (*οἰνωποὶ*? ipſe lege *αἰγωποὶ*) ſtolidi: igneos verecundi habent. [96])

Huius loci quoque ſunt *pupillae duplices* aut *geminae* Romanorum, quae faſcinationis per oculos anſam praebuerunt. — „Eſſe eiusdem generis homines in Triballis et Illyriis adiicit *Iſigonus*, *Plinio* [97]) narrante, qui viſu quoque effaſcinent interimantque, quos diutius intueantur, iratis praecipue oculis: quod eorum malum facilius ſentire puberes. Notabilius eſſe, quod pupillas binas in

93) Phyſiogn. c. 6. p. 1121.

94) Ibid. c. 3. p. 1111.

95) Ibid. p. 1112.

96) Ibid. p. 1121. — Hoc loco vix *οἰνωπὸς* convenit, qui color atro-ſanguineus videtur, nec cum caprae oculis quadrat. Facillime cum *αἰγωποὶ* verbo mutari poteſt. *Τὰ χρώματα οἰνώπα* caeterum iam in Hippocrat. de morb. vulg. VI. p. 151. b. occurrunt, et partis *ὑφαίμης* praebent ſignum: eſt igitur ille color *τοῦ μέλανος οἴνου*.

97) H. N. VII. 2.

in oculis ſingulis habeant. Huius generis et foeminas in Scythia, quae vocantur Bithyae, prodit *Apollonides*. *Phylarchus* et in Ponto Thibiorum genus, multosque alios eiusdem naturae; quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam; in altero *equi* effigiem." — Ex hac igitur auctoritate *Ovidius* [98]) Dipſae ano faſcinanti inter alia ſigna accenſet:

„Suſpicor; et fama eſt. Oculi quoque pupula duplex
Fulminat et gemino lumen ab orbe venit."

Gellius [99]) eadem fere refert ac *Plinius*, de Africae familia, hominum voce et lingua effaſcinantium: qui ſi impenſius forte laudaverint pulcras arbores, ſegetes, infantes amoeniores, egregios equos, pecudes paſtu atque cultu opimas, repente emoriantur haec omnia. In utroque ergo loco, *Maronis* [100]) verſus ſubeſt commentarius:

„Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos."

De faſcinis oculorum uberius agunt infra citati auctores, qui conferendi ſunt. [1]) — Pupulae in eodem oculo geminatae exempla recentiora ignoro et plane denego; an itaque illae quae a Romanis deſcribuntur, ad iridis ſynizeſin imperfectam revocandae? media iridis parte nimirum concreta,

98) Amor. I. 8. 15.
99) N. Att. IX. 4. p. 464.
100) Eclog. III. 103.
1) Barth. ad ſcript. venat. p. 137. — Turneb. Adverſ. 9. 28. Caſaubon. ad Perſ. p. 202. et Gesner. Chreſt. Plin. n. 10. p. 39 ſq.

utrinque vero effusa et dilatata. — *Plinii* autem verba, quae equi effigiem immiscent, minime audeo interpretari: gr. ἵππος quidem iridis est vitium, quo instabilis et tremula quasi nictat et labat, nullam tamen manifestum habeo priscam auctoritatem, nisi apud recentioris aetatis scriptores. — *Plinii* locum exinde ita diiudico, ut equi effigiem, ad equorum pupulas oblongas, nec rotundatas in oculis, transferam, quae ex eodem vitio causa in utroque oculo cum synizesi provenire potest.

Iam vero redeamus in viam, unde digressi sumus, et quidem ad internos, sic dictos oculi humores animum attendamus.

Corpus vitreum, s. humor vitreus ab antiquissimis auctoribus cum lente crystallina commiscebatur et utrumque pro uno humore habebatur. *Celsius* humorem vitreum commutat cum crystallino, dicit enim, sub his gutta humoris ovi albo similis, a qua videndi facultas proficiscitur, κρυσταλλοειδὴς a Graecis vocatur. Melius autem a *Galeno* [2]) describitur, et bene distinguitur humor vitreus (ὑαλοειδὴς): albidior est, humidior instar vitri igne liquefacti, pauco nigro (s. potius violaceo) admixti, nutritur per ἀμφίβληστρον a tunica retiformi ipsum ambeunte, ex cerebri parte superne descendente.

Lentis crystallinae praestantia et natura primum innotuit, ut ex *Hippocrate* [3]) coniicio, ex

2) De usu part. X. 1. p. 454.

3) De princ. et carn. S. III. 6. p. 249, ed. M.

vitio oculi rupti: ille enim saepius observavit tunc prodiisse humorem glutinosum, qui quamdiu calidus erat, liquidus, ubi vero perfrixit, siccus evasit, velut thus pellucidum (λιβανωτὸς διαφανής). [4] *Aristoteles* lentem et forsan quoque humorem vitreum intelligit sub parte sebacea (μορίον στεατῶδες) quae omnium animalium oculis communis pars est. [5] Equidem vero lubentius nodos in scirpo endi quaererem, quam minus argutus et subtilis in eruendis veterum nominibus apparere mallem, si id μόριον στεατῶδες pro corpore vitreo, τὸ κυκλοτερὲς vero, quod modo adduxi, pro lente crystallina habeam et declarem. Κυκλοτερὲς enim nullo pacto, ut omnes perhibent auctores, ad scleroticam trahi potest: convenit enim neque cum talpae oculo, de quo hic sermo, neque etiam verborum nexus huic interpretationi favere, optime autem lentis forma orbicularis cum κυκλοτερεῖ significatione congruere videtur. — A *Celso* ex errore, quem modo indicavimus, lens crystallina corpus ὑαλοειδὲς nominatur, quod neque liquidum neque aridum est, sed quasi concretus humor, ex quo pupillae color dirigitur. *Galenus* [6] multo melius lentis formam et naturam taxat et perspi-

4) λιβανωτὸς est resina arboris turiferae, Amyridis Kafal Forsk. (τὸ λιβάνου δενδρὸν Dioscor. I. 81. s. λιβανωτοῦ δένδρου Theoph. hist. 9. 3. — Cf. Herodot. III. 107.

5) Hist. anim. III. 18.

6) De oculo c. 2. p. 366.

cit. Illo iudice eſt humor albus, ſplendidus, pellucidus, ſubrotundus, compreſſus, mediam oculi partem tenens; albus nempe et ſplendidus, ut varios accipiat colores: rotundus, ut difficilius poſſit adfici et adgredi; latus vero ſ. compreſſus, ut lumen facilius colligere poſſit. Eſt [7]) primarium viſus inſtrumentum, ab humore vitreo nutritur, et in illo tanquam inſculptus medius vehitur, duriusculus, quaſi ſphaera ſemiſecta in aqua.

Humorem aqueum camerae anterioris et poſterioris *Galenus* bene iam obſervavit, ut ſupra vidimus. Anteriorem tanquam ſpiritu, poſteriorem humore repletam habet, ut ex operibus et vulneribus illatis edoctus eſt.

Nervos eorumque efficaciam et poteſtatem *Hippocrati* iam notam fuiſſe, vix ex ullo coniicere poſſumus loco: τόνος enim et νεῦρον promiſcue tendines, nervos et ligamenta ſignificant, partes quae omnes muſculorum ſ. carnium motus dirigant et nutriant. *Ariſtoteles* demum primum nervos veros (πόρους) detexit, et *Herophilus* eorum vim certius definivit. Nervos opticos *Ariſtoteles* [8]) primum in talpae oculo bene deſcribit, et alio loco [9]) tres nervos minores naribus propiores et nunquam coëuntes ab oculis ad cerebrum tendere indicat, quos vero vix ad humanum corpus, ſed

7) De uſu part. X. 1 et 2.
8) Hiſt. anim. I. 8. IV. 8.
9) Ibid. I. 16.

ad piſcium nervos, opticum et olfactorium, cum cl. *Sprengelio* [10]) reducere mallem. Multo melius autem *Galenus* [11]) nervos opticos decuſſatos, Graecorum literae X figurae ſimiles, alterum nempe qui ex dextro emergit ad oculum ſiniſtrum, alterum qui ex ſiniſtro ad dextrum. His ipſis etiam viſus facultatem adſcribit, et theoriam ex illis exſtruit. Alibi hos nervos opticos iam nominat, foramen opticum penetrantes, oculorum fere radicem conſtituentes. Admiratur quoque nervos in retina expanſos, qui humorem vitreum circumdant, et qui in ipſum ſiniuntur. Praeterea vero perhibet, [12]) hos nervos cum utraque cerebri meninge deſcendere et ſecum viſibilem ſpiritum ducere, a reliquis autem nervis ſex fere modis recedere. Nervus opticus ſcilicet maior eſt, in retinam expanſus concavus, extus durus, intus mollis, quoniam maiorem ſpiritus copiam continet, et quoniam variis viis et ad oculos et ad nares excurrit. *Galenum* aeque ac *Ariſtotelem* nervi trigemini ramum ophthalmicum et naſalem hic commiſcuiſſe, ex verbis liquere videtur.

Arteriae. Oculum ſanguine haud carere, vetuſtiſſimis iam innotuit auctoribus, et *Hippocrates* [13]) ipſis verbis: ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου τῆς μήνιγγος

10) Geſchichte der Arzneyk. I. p. 500.
11) De uſu part. X. 12.
12) De oculo c. 3. p. 368.
13) De carn. et princ. S. III. 6. p. 248.

φλὲψ καθήκει ἐς τὸν ἐγκέφαλον διὰ τοῦ ὀστέου ἑκάτερον, confirmat: vaſorum autem uſum ſingulari modo explicat: per haec duo vaſa ex glutinoſo nempe, quod tenuiſſimum eſt, ex cerebro percolari atque ideo ipſam circum ſe tunicam, quae aëri ac ventis expoſita, talem reddere, quales ſint oculi tunicae. Similiter quoque *Ariſtoteles* [14]) Πτεραίνου καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ εἰς τὸν ἐγκέφαλον, καὶ κεῖται ἐπὶ φλεβίου ἑκάτερος· et alio loco [15]) de oculis dicit: καὶ γὰρ φύσει τυγχάνουσι φλεβώδεις ὄντες, et ex hac cauſa oculorum nexum cum menſtruis in ſexu ſequiori iam interpretatur. *Plinius* [16]) denique apte perhibet ex peritiſſimis auctoribus, venas ab oculis pertinere ad cerebrum, male vero addit, nervorum ſcilicet effectum commutans, ſe potius et ad ſtomachum credere illos pertinere, certe enim nulli ſine redundatione ſtomachi oculum erui. — Ea vero non ſolum vaſa, ſed quoque alia nota ſunt, quae oculo ſanguinem largiuntur. *Hippocrates* [17]) enim praeter haec vaſa (φλέβες) et alia duo ex vertice recta via per integumenta ad oculorum κανθούς, et alia duo iuxta tempora (art. temporalis) quae oculum comprimunt ſemperque pulſant, minime vero irrigant ſed potius ſanguinem abducunt et detrahunt, excurrentia deſcribit, quae alibi nobis maioris erunt momenti.

14) Hiſt. anim. I. 11.
15) Ariſt. inſomn. p. 1468.
16) H. N. XI. 55.
17) De loc. in hom. S. IV. 2. p. 138. ed. M.

Ἐπίλογος.

Hactenus de visu et de singulis oculi constructis partibus, earumque natura et oeconomia, quantum mihi ex veterum subiit monumentis. Iam vero restat, ut oculi ipsius pretium et nobilissimam vim et significationem, quam supra in limine huius cap. fugitivo tanquam calamo modo tetigimus, ipsorum veterum argumentis dilucidemus et illustremus, et ita huic capiti coronam quasi imponamus, ad sequentes vero observationes de oculo adfecto et illi medendi ratione, nos praeparemus. Quam vero dictorum ἐπίκρισιν eo magis utilem puto atque necessariam, quo magis veterum suffragia de usu et origine oculi partium invicem cohaerent et se mutuo illustrant, et ad oculi vitiis medendi rationem veteribus usitatam aptissimum commentarium largiuntur. Testem itaque, et auctorem Stagiritam [18]) advocamus, philosophorum et naturae scrutatorum principem atque antesignanum, cuius opinionem de oculo reliqui omnes fere aevi philosophi et medici ad decimum quintum usque seculum, si *Galeni* gravem auctoritatem simul coniungimus, comprobarunt et pro maxima parte persequuti sunt. Illo autem iudice oculorum connubium et intimus cum animo et nervorum systemate nexus fere his se vertunt cardinibus. „Cerebrum humidum (ὑγρὸν) et frigidum (ψυχρὸν)

18) Gener. anim. II. 7. p. 1270.

aeque ac oculi ſoli inter omnes reliquos ſenſus. A cerebri humore enim ſecernitur pars puriſſima per nervos (πόρους), qui conſpicue ad cerebri μηνιγγα ex oculis tendunt: quodque exinde etiam liquet, quoniam in capite nulla alia pars eſt, quae frigida et humida, praeter cerebrum et oculos. Magnitudo itaque etiam utriusque ſibi reſpondet: cerebrum poſtremo tandem perficitur aeque ac oculi: infantis cerebrum ita mole auctum, ut per longum tempus ob pondus caput ſuſtinere nequeat: illi autem ſemper oculi grandes ab initio, qui demum tandem conſidunt: homo vero habet humidiſſimum et maximum cerebrum, ipſe utique homo prudentiſſimus omnium animalium (φρονιμώτατος γὰρ τῶν ζώων ἄνθρωπος) et viſus acie valde excellit. — Genitura (γονὴ) ſimilis eſt cerebro, aquoſa enim et calor adventitius (θέρμοτης ἐπίκτητος); ex iſta itaque etiam cauſa, oculi omnium capitis partium quam plurimum habent ſemen, quod exinde patet, quod oculi prae ceteris ex coitu repetito immutentur et effrenato Veneris exercitio langueant et ſubſidant. Problema itaque eſt,[19]) an ex humore deficiente? Ita fere etiam ante *Ariſtotelem Hippocrates*, qui externas quoque tunicas ex cerebri meningibus productas habet, ut in antecedentibus iam indicavimus.

Tanta igitur oculo fuit apud veteres laus atque dignitas, ut ipſe, communi auctorum teſtimo-

19) Probl. Sect. IV. quaeſt. 37. p. 863.

nio, tanquam pro prole partis nobiliſſimae corporis humani, a qua omnia pendent et gubernantur, haberetur. Minime itaque mirum nobis videbitur, ſi antiquiſſimi et ſaepe acutiſſimi obſervatores vultus praeſertim primariam exiſtimaverint partem oculos, non ſolum morum et virtutum, ſed quoque graviſſimorum morborum certiſſimos teſtes et indices. Vetuſtiſſimum itaque iam ſcholae Hippocraticae praeceptum eſt: [20]) *τὸ πρόσωπον τοῦ νοσέοντος ἐνιαυτιώτατον τοῦ ὁμοίου τῶν ὑγιαινόντων, δεινότατον.* — Et *Ariſtoteles*, [21]) dum *Φυσιογνωμικῶν* ſigna certiſſima recenſet, adfirmat: *ἐναργέστερα δὲ τὰ ἐν ἐπικαιροτάτοις τόποις ἐγγινόμενα· ἐπικαιρότατος δὲ τόπος, ὁ περὶ τὰ ὄμματά τε καὶ τὸ μέτωπον.* — Eadem lepide quoque *Cicero* [22]) conſiderat, dicens: „Imago animi vultus eſt, indices oculi. Nam haec eſt una pars corporis, quae quot animi motus ſunt, tot ſignificationes et commutationes poſſit efficere; neque vero eſt quisquam, qui eadem contuens efficiat. — Quare oculorum eſt magna moderatio. Oculi ſunt, quorum tum intentione, tum remiſſione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum ſignificemus apte cum genere ipſo orationis. Oculos autem natura nobis, ad motus animorum

20) Progn. I. 2.
21) Phyſiogn. c. 6. p. 1124.
22) De Orat. III. 59. — Similiter quoque in Orat. p. 474. ed. Manut.

declarandos dedit. Quare in hac noſtra actione ſecundum vocem vultus valet: is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae ſunt actiones, ineſt quaedam vis a natura data, etc.“ — Maximo iure itaque et egregie *Plinius* [23]) rem noſtram illuſtrans, oculorum dignitate exardens, ἐμφατικῶς: „neque ulla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus, ſed homini maxime; id eſt moderationis, clementiae, miſericordiae, odii, amoris, triſtitiae, laetitiae. Contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, graves, transverſi, limi, ſubmiſſi, blandi: profecto in oculis animus inhabitat; ardent, intenduntur, humectant, connivent: hinc illa miſericordiae lacryma: hos quum oſculamur, animum ipſum videmus attingere, hinc fletus et rigantes ora rivi. Quis ille humor eſt, in dolore tam foecundus et paratus? aut ubi reliquo tempore? animo autem videmus, animo cernimus!“ — Diſerte quoque *Theocritus* [24]) canit: planum eſt et apertum iter ab oculis ad cor, fruſtra ad ſimulandum vultum componis, quia cordis affectus oculis celari nequit: quod *Ovidius* [25]) egregie confirmat:

23) H. N. XI. 54.

24) Idyll. — Cor hilare vultum hilarem efficit. Proverb. Salom. XV. 13.

25) Metamorph. II. 447. Vultum, faciem, ſonum fingere non poteſt orator. Cic. de Orat. I. 224. — vox, et vultus eloquendi comes eſt. Cic. de partit. orat. c. 1.

„Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu!“

Ab antiquiſſimis inde temporibus, philoſophi maxime, in rerum omnium natura et in hominum moribus et animo perſpiciendis occupati, ut non ſolum ex ſupra dictis, ſed quoque ex obſervatis ipſis eo fine inſtitutis perſpicue patet, iſtud oculi pretium haud ſine utilitate obſervabant. Quin! hic philoſophorum digniſſimus mos, fructus graviſſimi momenti offerre debebat. *Cicero* [26]) enim adſeverat: homines ingenioſiſſimos otioſiſſimosque totam aetatem contriviſſe in illo ſtudio: et copiam et magnitudinem cognitionis atque artis, non modo non contemnendam, ſed quoque vehementer admirandam eſſe! Quae cum ita ſit, videamus quaedam ex oculi *Φυσιογνωμονία* iuxta praecepta Ariſtotelica.

Oculi imbecilli et mobiles, timidis hominibus peculiares ſunt. [27]) Inverecundi ſigna ſita ſunt in oculo nimis aperto et ſplendido, in palpebris ſanguineis et craſſis; [28]) inanimoſus gaudet oculis macris, confractis; et rugoſi et pingues oculi reprehenſorem inſigniunt. [29]) Malefici habent oculos concavos et reducuntur ad ſimias; fatui vero eminentes, reducuntur ad aſinos: magnanimi parum concavos oculos habent et referuntur ad leones. [30])

26) De orat. I. p. 243. ed. Man.
27) Phyſiogn. p. 1112.
28) l. l.
29) Ibid. p. 1113.
30) Ibid. p. 1120.

Oculi magni, manſueto communes, referuntur ad boves. [31]) Oculi parvi ocellis [32]) proprii ſignificant animum puſillum et ad ſimias accedunt. [33]) *Hippocratis* opinio de oculis magnis et parvis ab hac quodammodo recedit: illi enim, oculi parvi, ſimus naſus malignum, magni vero bonum animum praebent: [34]) oculi parvi, caput magnum et balbuties. iracundiam, magni vero et nigri in capite magno bonum animum demonſtrant. [35]) *Ariſtoteles* [36]) oculos atros (ἄγαν μέλανες) timidis, nigros autem boni animi hominibus adſcribit. Oculi nigri caeterum plerumque apud veteres ad pulchritudinem referuntur, ut ex diverſis patet locis: [37]) quibus ergo tales placent, *Plinius* [38]) praegnanti foricem edere praecipit. Oculi rubri irae indices; oculi glauci et albi, timidum declarant: color albus enim in univerſum timiditatem ſignificat. Oculi rufeſcentes (οἰνωποὶ? potius αἰγωποὶ) ſtolidos ſiſtunt et referuntur ad capras; viridi-luteſcentes (ὄμματα ὠχρὰ)

31) l. l. — Ariſt. rhet. II. 6. p. 662.

32) Plin. H. N. XI. 54. — Servius Ocella Cic. epiſt. ad Div. VIII. 7. II. 15. — Ocellus graecis ὀμματίδιον eſt.

33) Phyſiogn. p. 1120.

34) De morb. vulg. V. p. 120.

35) De morb. vulg. V. p. 122. ed. Foeſ. p. 133.

36) l. l. p. 1121.

37) Plaut. Capt. III. 4. p. 125. — Poenul. V. 2. p. 497.

38) H. N. XXX. 46. — Q. Serenus, c. 5. p. 128. itaque
„Si praegnans artus captivi foricis edit,
Dicuntur foetus nigrantia lumina fingi.“

ictero alioquin propria, ſtupidos conſtituunt; [39]) ignei (πυρωδεις) inverecundis proprii, ad canes accedunt: discolores (ωχρόμματοι) timidis communes, inter timorem enim totus vultus palleſcit interiecto rubore: lucentes (στιλπνοὶ) luxuriei ſigna, corvis et gallis proprii. [40]) Quicunque oculos habent bene mobiles, acuti ſunt et rapaces, accipitres referunt; qui oculos diligenter circumagunt, albo oculi immoto (ſ. ſclerotica), ii quid meditantur. [41]). Quibus ab oculis tanquam veſiculae dependent, Baccho dediti (οἰνόφλογες); [42]) immorantibus itaque apud vinum (ἐγχρονίζοντων ἐν οἰνίοις) genae oculorum liveſcunt (οἱ ὀφθαλμοὶ πελιδνοὶ), ſecundum *Salomonis* proverbium. [43]) Oculi extus flexi, furoris ſignum praebent, intus vergentes tragicum aut quempiam alium ſeverum adfectum exprimunt. [44])

Denique vero *Plinius* [45]) *Trogi* auctoris ſe-

39) Ariſt. Phyſiogn. p. 1112.

40) Phyſiogn. l. l. — Homerus apud Athen. Deipn. XII. 12. p. 546, dum Achilles Agamemnoni conviciatur, dicit: vino gravis, caninos oculos habens ſc. diminutos.

41) l. l. p. 1125.

42) Ariſt. probl. 31. p. 1020.

43) Proverb. 23. 29. Omnes vertunt oculos rubicundos: Salomon vero circulos violaceos aut liveſcentes oculis ſubiectos, qui Ariſtoteli veſicae vocantur, intelligit.

44) Ariſtot. probl. S. 31. p. 1022.

45) H. N. XI. 94.

veriſſimi citat auctoritatem et quasdam ex vultu notas indicat, quae totidem omnino verbis iam ab *Ariſtotele* [46]) ipſo obſervatae exſtant et iuxta illum ſupra enarratae ſunt. — Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles ſignificant: quibus iuxta naſum flexa ſunt, auſteros; quibus iuxta tempora inflexa, deriſores; quibus in totum demiſſa, malevolos et invidos. Oculi quibuscunque ſunt longi, maleficos eſſe indicant. Qui carnoſos a naribus angulos habent (οἱ κτένες κρεωδεῖς *Ariſt.*), malitiae notam praebent. Candida pars extenta, impudentiae notam habet; qui identidem operire ſtudent (σκαρδαμυττικοὶ *Ariſt.*) inconſtantiae.“

Miror caeterum, neque apud Graecos, neque apud Romanos, ex oculis illorumque intuitu, amoris ſigna ſaepius derivari. Ne unus quidem mihi ſubit praeter Plinianum, locus, ubi ipſis verbis, amoris telum per oculum ferocem et ſcintillantem iactum, quempiam percuſſerit. Quod attinet ad τὸ ἐρᾶν ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, paſſim poëtae ἐρωτικοὶ teſtantur, quorum autem teſtimonia ſigillatim non indicanda cenſeo: nusquam autem de ipſis oculorum illecebris ex illorum intento exercitio apud veteres notitia exſtare videtur. *Athenaeus* (Deipn. XIII. 2. p. 564. ed. Caſaub.) multos enarrat locos ex priſcorum monumentis, quorum quilibet oculorum ſummam dignitatem, quam habuerunt apud veteres, vindicat, ne ullus autem amo-

46) Hiſt. anim. I. 9. p. 836.

rum ex oculis illecebras, aut intutus libidinoſos conſtituit. Illo citante v. c. *Sappho:* „confiſte amice, oculorum gratiam ac lepores explicato!“ aut *Anacreon:* „o puer, qui pudenter virginis inſtar contueris, etc.“ aut *Pindarus* μεγαλοφωνότατος ille: „Qui micantes oculorum Theoxeni radios et ſcintillantes cernit, nec amore et cupiditate undabundus fluctuat, atra illius anima ex ferro et adamante fabricata eſt!“ — Ex iis omnibus igitur, omnino oculorum ſumma dignitas, et pulchritudinis laus, nunquam vero oculorum illecebrae amoris augurari poſſunt. — Noſtra autem tempeſtate, quam maxime hoc aliove peiore ſenſu oculus exerceri ſolet, et ſaepe apud utrumque ſexum conſitetur: vidi, perii, me malus abſtulit error! — Quin Graecis proverbium erat: ἐν ὀφθαλμοῖς αἰδώς [47]) et forſan in illo *Ovidiano* [48]) cautela etiam recondita eſt:

„Cum ſpectant oculi laeſos, laeduntur et ipſi.“

Codices ſacri noſtri plura eiusmodi artis et illecebrarum per oculos iam exhibent exempla; et *Ioannes* (I. 2. 16.) egregie praecipit: „Quidquid eſt in mundo, carnis cupiditas et oculorum libido et faſtus vitae, non eſt ex patre, ſed ex mundo, et proverbium admonet: [49]) „Ne capiat Te mere-

47) Ariſt. probl. 31. p. 1020.
48) Remed. Amor. 615.
49) Proverb. Salom. VI. 25.

trix palpebris ſuis! — Papae! quis Graecos et Romanos ita caſtos teneat, ut noſtrae religionis praeceptis tenaces, nos ipſos illi addictos, hoc more ſuperarint? —

Vultus et praeſertim oculorum dignitatem et uſum praeclarum in dignoſcendis morbis et illorum praeſagiendo exitu et virium rationibus definiendis, iam naturae et vel optime innotuiſſe *Hippocrati*, ex ſupra dictis clariſſime elucere videtur. Omnino itaque operae pretium et huius loci eſt, iſta ex oculis ſumta ſigna colligendi et indicandi, quae viam meliorem nobis ad ſequentia parabunt.

Oculi concavi [50] (ὀφθαλμοὶ κοῖλοι) [51] clauſi (ὄμματος κατάκλεισις), [52] diſtorti (ὀμμ. ἴλλωσις) [53] crebro moti et defixi (ὀφθαλμῶν πυκνὴ κίνησις καὶ ἔμβλεψις) [54] in febribus acutis mala praeſagiunt. Oculi recti et crebro moti (ὄμμ. ὀρθότης καὶ κίνησις ὀξείη) [55] oculi rubri (ὀμμ. ἐξέρυθρα) in capitis adfectionibus periculum [56] aut haemorrhagias, [57]

oculi

50) Celſ. d. Med. II. 6. p. 97. ed. R.

51) Progn. c. 2. p. 58. Coac. praent. c. 6. p. 157. — De intern. aff. 45. p. 36.

52) Praedict. I. 6. p. 109.

53) Ibid. I. 5. p. 109.

54) De morb. vulg. VII. 307. — Celſ. d. Med. II. 7. p. 112. oculorum frequens motus et effuſae oculis tenebrae.

55) Coac. praen. 6. p. 158.

56) Ibid. c. 2. p. 153.

57) Praedict. I. 9. p. 114.

oculi hebetes (ὀμμ. ἀμαύρωσις) convulsiones,[58]) illachrymantes et contracti (ὀφθαλμ. δακρύουσι θαμινὰ καὶ ἕλκονται)[59]) tetanum aut comitantur, aut indicant. Ubi oculi non circumaguntur,[60]) aut sine nota causa icterici fiunt,[61]) mortem exspectare debemus. Gravidarum oculi retracti et magis immersi sunt et candidum nativam non habet albedinem, sed plane livet.[62]) Qui oculum ferocem et clausum habent (ὄμμα θρασὺ καὶ κεκλεισμένον), medicamenta plerumque respuunt.[63]) Cum ὑδροκεφάλῳ simul circa oculos et in ipsis dolor rimatur, illi vero caligant, pupula scinditur et ex uno duo sibi cernere videntur, neque ventum, neque solam perferunt.[64]) Ἴκτερος habet oculos viridi-lutescentes (χλωροὶ), qui vero cito colorem suum iterum accipiunt.[65]) Miratur tamen morbum regium in oculis *Plinius*,[66]) praecipue ob tenuitatem illam densitatemque tunicarum, felle subeunte. In febribus ardentibus (πυρετὸς καυσώδης),[67]) icteri species habet oculos ωχροῦ

58) Coac. praenot. c. 8. p. 160.
59) Dies iudic. c. 3. p. 100.
60) De morb. vulg. II. p. 136.
61) Ibid. V. p. 213.
62) De superfoet. c. 6. p. 169.
63) Praedict. I. c. 5. p. 108.
64) De morb. vulg. II. c. 6. p. 210.
65) De morb. vulg. II. 12. p. 221.
66) Plin. H. N. XXVI. 76.
67) Hipp. m. vulg. II. 25. p. 240.

(pallido-lutescentes),[68]) et oculi ὑποχλωροὶ in morbo nigro observantur.[69]) In angina oculi velut in strangulatis prominent, defixi sunt nec circumagi possunt,[70]) in epilepsia autem eo frequentius distorquentur.[71]) Genae in tabe pallescunt,[72]) in lethargo vero elevantur (μετάρσια ὑποφθάλμια).[73]) Caligo oculorum, aut si alba ipsorum pars rubescit aut livescit s. venulis nigro-violaceis tincta, nihil exoptati exspectandum praebet; malum quoque est, lucem fugere et lacrymari et distorqueri, aut si alter altero minor sit; malum est, si oculi huc illuc volvunt, aut si parvae sordes adhaerent, aut maculam albam (αἰγιλώπα λευκὴν) habent, aut ubi album augetur, aut nigrum sub palpebris occultatur: mala quoque oculorum cavitas et si nimis prominent, aut cornea nimis comprimitur (λαμπηδόνος ἔκθλιψις), ita ut pupula extendi non queat. Pernicioſum quoque est, si palpebrae curvantur (βλεφαρίδων καμπυλότης) et oculi concrescunt (πῆξις) et adsidue nictant, colorem mutant et inter dormiendum palpebris non connivent.[74]) In typho

68) De intern. adf. c. 36. p. 366.
69) De morb. vulg. II. 29. p. 246.
70) Ibid. III. 10. p. 253.
71) Praedict. c. 3. p. 109. — Aristot. probl. 32. p. 1026.
72) De intern. aff. c. 13. p. 339.
73) Coac. praenot. c. 1. p. 151.
74) Ibid. c. 6. p. 158. Iisdem plane verbis ex *Hippocrate*, *Celsus* (II. 6. p. 97.) „Si praeter haec oculi

oculi raro nictant (σκαρδάμυσσει): [75]) pupulae ſaepius motae, maniae praecedunt. [76]) Oculi demiſſi inferiori palpebrae incumbentes, intenti, rigidi, tunica alba pallida, morbi graviſſimi ſigna: [77]) ſi in febribus ſupercilia pervertuntur et ſponte oculi illacrymantur, tunc mors propinqua eſſe ſolet. [78])

Si palpebrae dormientis non coëunt, ſi album oculorum apparet, mortis indicia adſunt, iuxta *Celſum* [79]) ex *Hippocrate*. — Quibus genae ſub oculis vehementer ſublatae ſunt, ii lienes magnos habere ſolent: [80]) alioquin etiam convulſiones praedicant.

Ex hac denique, ni fallor, obſervatione Romani oculos ſuos natantes ſumſerunt et derivarunt,

---

quoque lumen refugiunt et illacrymant, quaeque in iis alba eſſe debent, rubeſcunt aut in iisdem venulae pallent, pituita in iis innatans noviſſime angulis inhaereſcit, alter ex his minor eſt, hique aut vehementer ſubſiderunt aut facti tumidiores ſunt, per ſomnum palpebrae non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet: eaedemque pallent etc.“ — Haec omnia iuxta *Celſum* mortis vicinae ſigna ſunt.

75) De intern. aff. c. 45. p. 376.

76) Progn. c. 3. p. 62.

77) De morb. vulg. VII. p. 313.

78) Aphorism. IV. n. 33 et 36. p. 350.

79) De Med. II. 8. p. 139.

80) Praedict. II. 16. p. 141. — Ibid. p. 160.

ita nempe ut oculos natantes, [81]) qui nobis fracti, vitrei aut pulverulenti dicuntur, non ex somno translatos tanquam conniventes habeam, sed quasi ob irruentes largiusque secretas in oculis morte gravatis, ut *Ovidii* [82]) verbis utar, lacrymas in cavea natantes et collapsos mallem considerare. Similiter quoque *Ovidius:* [83])

„Nox erat; et vinis oculique animique natabant."

CAP. III.

DE

OCULORUM VITIIS ILLISQUE MEDENDI MODIS VETERIBUS USITATIS.

Iam vero universae rei medicae et quae ad oculi historiam spectant, summatim enarratis fatis et quantum opusculi fines permittunt dilucidatis, alteram operis adgredior partem, cum priore arcto connexam et quasi concatenatam vinculo, quae oculi morbos et illis medendi suffragia pri-

81) Virg. Georg. IV. 496. — Ovid. Metam. V. 71. — Stat. Theb. l. II. 638. — Sil. Ital. II. 122.

82) Metam. IV. 144.

83) Fast. VI. 673.

mum a veterum medicis inventa tradit atque uſitata. In antecedentibus totam rem ita ex hiſtoriae fontibus deduximus et expedivimus, ut ex iuvenilibus et primis artis rudimentis maxime abbreviatis, ſenſim maiora et magis perſpicua artis augmenta derivaremus, et progreſſus pedetentim in cognoſcendis anatomicis et phyſiologicis provinciis factos perſequeremus. Similiter et adhuc in ſingulis oculorum adfectibus rem explicandam ſumſi, ut ab inferiore empiriae ad perfectiorem et illius aevi ſummam artis verae ſcalam adſcenderem, quae tandem, ut in hac quidem arte obſervamus, ut quodlibet plerumque cum tempore in peius ruit reditque ad priſtinum ex quo exiit ſtatum iuvenilem; ſciolis commendata ὀχλαγωγοῖς, etiam plane periit aut certe valde conſpurcata eſt ineptis praeceptis.

Naturam corporis humani partes ita conſtructas voluiſſe, ut ex connata indole noxias excipiant iniurias, ex quibus laeſa aegritudines, morbi ſ. vitia proficiſcuntur, ſupra iam monuimus. Prorſus itaque morbornm nomina ſimiliter taxo atque diiudico, ac immortalis rei medicae ſtator atque pater, ſuam artem, ſi dicit:[1]) ἄλογον γὰρ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων τὰ εἴδεα ἡγεῖσθαι βλαστάνειν καὶ ἀδύνατον· τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα Φύσιος νομοθετήματα ἔστι· τὰ δὲ εἴδεα οὐ νομοθετήματα, ἀλλὰ βλαστήματα.“ Quamvis autem exorta in humano cor-

1) Hippocrat. de vet. med. p. 6.

pore vitia ex naturae inſito conatu humanum deſiderarint auxilium, tamen illis temporibus vix artem medicam ita habere poſſumus comparatam atque excultam, ut illius ope, quae vix primas in obſervatis iecit radices, quaelibet iniecta iniuria poſſit apte fugari, praeſertim in oculo, parte non ſolum ſubtiliſſime compoſita, ſed ita conſtructa, ut ſingularum partium interior natura unice poſſit ſuadere commodam rationem, qua oculi adflicti poſſint curari. Illis enim temporibus de morbis et verſus illos efficacibus medelis, rudis cognitio ex obſervationum feliciter inſtitutarum concentu, transiit in templa, ibi excolebatur et anathematibus divulgabatur, donec demum his rei medicae primitiis philoſophorum acceſſit ſtudium, quod omnino quidem prima ad theoreticam medicinam conſtruxit fundamenta, practicam vero ob mancam de corporis humani conſtructis partibus cognitionem, fere totam neglexit et intactam reliquit. Neque enim ſacerdotibus in templis, neque ipſis philoſophis illa aetate vitiis, variis medicamentis et manu medendi ratio placere potuit, qui contenti erant praeſtigiis, verbis dulcibus involutis aliisque remediis domeſticis aegrotorum vota ſatisfacere. Vix itaque ex hac artis univerſae prima et tenui iuventute, fructus, qui ad noſtram ſpectent oculorum provinciam, exſpectare poſſumus, qui ſerioribus rem medicam profeſſis conſervati erant.

Laetius iam Hippocratiorum aevo illorum-

que ſtudiis ex rudi obſervationum indigeſtaque, ut ita dicam, mole prodiit ars medica, erroribus quidem et commentis variis ex philoſophia et theoria exortis, haud libera, tamen vero pro maxima parte ex philoſophorum manibus et ſacerdotum erepta, obſervationibus autem in templis factis aucta. Omnino igitur non ſolum ex *Hippocratis* immenſo in artem medicam ſtudio, naturae cauſas inveſtigandi et obſervandi conatu adſueto, ſed quoque ex lege, *Celſo* auctore, [2]) ab *Hippocrate* lata, medicinam a philoſophia eiusque theoriis inde manantibus, diſiunctam in operibus tradendam eſſe, notae gravioris iam momenti nobis redundant, quibus noſtra de oculorum morbis utraque hiſtoria poſſit illuſtrari. Corporis quidem ſtructura et ſingularum partium indoles vix illi ita nota erat atque perſpecta, ut ad hanc intricatorum morborum cognitionem auxilia prodire, aut derivari potuerint, ut poſteris demum temporibus factum eſt. Oculorum tamen dignitas et graviſſimus in morbis et quolibet ſtatu ſignificatus a priſtinis inde illuxit temporibus: perfectiſſimum enim viſus ſenſum habent et intimum cum animo et nervorum ſyſtemate connubium praeclariſſimum, hinc intentiones et remiſſiones, obtutus et coniectus, hilaritas et moeſtitia, quae optima promittunt ſigna ad animi et nervorum vires perſpiciendas, ubique cum naturae congruis obſervationibus

2) De Medic. praef. §. 21.

a prifcis illuſtrantur et excepta ſunt. Iſtam igitur naturalem oculi indolem, qua per ſe oculi obſervantem provocant et invitant, pro altero medicinae ocularіae fonte quin habeam, plane non abſum.

His itaque obſervationis intentae fido comite, qui oculi perfecti naturam obſervare et indagare, in morbisque corporis humani in univerſum, eius ſignificatum interpretari docuit, adiuti quomodo potuerunt praetervidere et negligere medici ipſos oculi morbos, quibus homo vel ſumma privatur voluptate? Quid mirum ergo, ubi in vetuſtiſſimis iam Hippocraticorum monumentis, quae uberius rationalem medicinam profitentur, [3]) plurimorum oculi morborum hiſtoriam indicatam et ſubinde haud inique illuſtratam reperimus? quid mirum, ſi illa opera, praeter prognoſtica ſigna aliasque notas ab oculo deſumtas egregie cum hodiernis obſervationibus congruas, eosdem etiam plane morbos commemoratos indicant, qui hodie aut iidem obſervantur, aut paucis modo ex ſerius exortis morbis v. c. ex variolis et lue venerea etc. prodeuntibus, aucti ſunt. Iuxta *Ciceronem* [4]) quidem, „quod et facilius eſt et magis neceſſarium, id ſemper ante cognoſcitur:“ tamen vero morborum naturam indagandi artem difficiliorem et antiquiorem habeo, ac ipſis medendi modum, qui poſteris temporibus clarior et perfectior exſtitit. Ubi

3) Ibid. I. 1. p. 3. ed. Ronſs.
4) Orat. p. 504. ed. Manut.

enim concedimus, oculum in corpore corpus proprium conſtituere, quod quidem ſimul cum corpore adfecto particeps fieri et laborare, tamen etiam ſeorſim proprios morborum ordines admittere poteſt: ſi compertum habemus paucos modo non obſervatos eſſe totius corporis morbos et ab *Hippocrate* praeterviſos, tunc omnino mirari non debet oculorum vitia a priſcis enumerata, niſi ob ſubtilitatem partis occultae et ipſorum vitiorum ſubditam indolem, iuſtas laudes et admirationem maturis his obſervatoribus largiri vellemus. Minime igitur in illis *Hippocratis* verbis ventoſam oſtentationem auguror, quae artis obſervationisque *Hippocratis* fidem merentur per ſe et haud parvam produnt conſcientiam, ſi de medico poſtulat oculario: [5]) *καὶ ὀφθαλμοὺς θεραπεύοντι καὶ ὑπαλείψαντι, ὀδύναι ἐνέπεσον ὀξύτεραι, κἢν οὕτῳ τύχῃ, ῥήγνυνται οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ ἀμαροῦνται καὶ αἰτιῶνται τὸν ἰητρὸν, ὅτι ὑπόλειψε.*“ Nimirum tamen, ubi medendi rationes inquirimus, haud negare poſſumus, ſaepius certe medicos eius aevi in anguſtias de diverſis oculi adfectibus compulſos, artem iuſto breviorem proclamaſſe et talem gloriam potius noſtri aevi medicis iam peritioribus, quam Hippocraticis reliquiſſe: de quo cum *Empedocle* apud *Ariſtotelem* [6]) perhibeo: *πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις αὔξεται ἀνθρώποι-*

5) De morb. vulg. Sect. IV. 1. 4. p. 181.
6) De anim. III. 3. p. 1413. — Metaphyſ. III. 5. p. 1276.

ev! — Quamvis etiam id perſuaſum habeam, egregios exinde et ſpecioſos in medicina ocularia minime denego progreſſus, ne *Celſi* auctoritati graviſſimae contrarius, priſcis dignam detraham laudem ipſorumque conſcientiam, qui ipſis verbis curationes oculorum adfectorum proſperrimas diiudicat, ſi adſeverat: [7]) *facile omnibus bene cognitis, cuilibet apparere, vix ullum ex omnibus ab ipſo deſcriptis, oculi vitium eſſe, quod non ſimplicibus quoque et promtis remediis ſubmoveri poſſit!* — Quae enim ex his *Celſi* verbis redundat gloria, totam huius libri materiem ſplendore eximio illuſtrans! —

Verum eſt, Hippocraticorum ſtudio, ad pathologiam oculi morborum primas ductas eſſe lineas, cui tandem ſerioribus iam temporibus medendi modus additus eſt, ubi praeceptum erat: „non intereſſe quid morbum faciat, ſed quid tollat.“ [8]) Minime tamen *Hippocrates* nudas offert pathologicas notas, aut modo morborum nomina indicat: ſaepe enim rationem commendat, qua et remediis internis et externis et manu illis mederi poſſit: ubique tamen tenaciter philoſophorum ſcholae adhaerere videtur, aut ab ipſo ſtabilitis praeceptis. In univerſum oculis adfectis eorumque dolori commoda commendat: merum, medicamentum epotum, balnea, fomenta venamque ſectam

7) VI. 6. p. 579.
8) Celſus d. Med. I. 1. p. 7. ed. Ronſs.

(ὀδύνας ὀφθαλμῶν, ἀκρητοποσίη, ἢ λοῦτρον, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακοποσίη λύει:[9]) quem locum dum *Celsus* carpit,[10]) eorum indicationes indicat. — Versus leviores oculorum fluxus, cura topica abstinens, derivantia et deorsum ducentia laudat, in quo *Celsum* et *Galenum* habet asseclas: in gravioribus vero, legibus theoreticis seductus, capitis integumentis incisis ὀφθαλμόξυσιν exercet. Acum ansatam ad opus trichoseos instituendum, iam adhibet et ita primum ligaturam sic dictam indicat: cuspidem ex palpebra excidit et endemicos oculorum morbos eorumque crises iam constituit; de quibus omnibus suis locis uberius dicendum erit.

Posteris dein temporibus cum *schola Alexandrina* rixis quidem argutiisque plena atque occupata, prodiit melior sine dubio de corpore humano constructo et post egregia iam stabilita fundamenta, praestantior quoque de oculo cognitio. Ex illo inde autem tempore pauca modo supersunt opera et ab aliis modo passim morbi et versus illos plerumque composita nominantur remedia, quae notitiae scitu quidem dignae, vix tamen satis augere possunt nostram historiam. Medicorum ophthalmicorum magna sylva iam ex cap. I. nota est, quae vero vix in hoc cap. lucis quid foenerantur.

---

9) Aphorism. Sect. VI. aph. 31. p. 171 b. ed. Ald.
10) De Medic. VI. 6. p. 554. ed. Ronss.

Cornelii Celſi demum laudabili et eximio ingenio nacta eſt noſtra ars egregia et ſpecioſiſſima augmenta. Ille enim non ſolum plurimos oculorum morbos indicat et aut ipſe expertus, aut ab aliis edoctus deſcribit, ſed quoque practicam oculorum cognitionem valde illuſtrat, morbosque ipſos in tres dividit claſſes. Sunt vero:

a. oculorum morbi leviores, qui lenibus curantur medicamentis;
b. oculorum morbi graviores, qui validioribus curantur medicamentis;
c. oculorum vitia, quae ſcalpello et manu curantur.

Celſus [11]) etiam leges quasdam univerſas conſtituit, quo potiſſimum anni tempore inſtituendae ſint oculorum curationes: verno aut brumali tempore. Duo vero illo iudice curationum ſunt genera: alia in quibus eligere tempus non licet, ſed utendum eſt eo, quod incidit, ſicut in vulneribus et in fiſtulis. Alia, in quibus nullus dies urget et exſpectare tutiſſimum et facile eſt, ſicut in iis evenit, quae tarde increſcunt et dolore non cruciant: in his ver exſpectandum, aut ſi quid magis preſſit, melior tamen auctumnus eſt, vel aeſtas, quam hyems; atque is ipſe medius, iam fractis aeſtatibus, nondum ortis frigoribus.

Uberrimus fons in *Claudii Galeni* operibus immenſa doctrina et vix ſuperanda facundia con-

11) De Med. VII. 7. p. 628. ed. R.

ſcriptis exſtat, ex quibus multi et limpidiſſimi derivantur rivi, qui noſtram hiſtoriam valde augent atque illuſtrant. Quae ad pathologiam et therapiam generalem ſpectant, leges, fere his conſtiſtunt: [12])

„Ante omnia medicus ophthalmicus, oculorum naturam notam habeat et perſpiciat: diſcat itaque eorum partes: teneat cerebri naturam, ex quo nervi optici, in quibus videndi facultas ſita, exeunt: adhibeat leges univerſas ad ipſam oculorum curam, quae aut ſanos cuſtodire, aut adfectos integros reſtituere docent: ſciat, oculum eſſe compoſitum ex ſimplicibus, in quo vitia quadruplici modo exiſtunt: a) ſecundum formam, b) ſecundum compoſitionem, c) ſecundum magnitudinem, et d) ſecundum numerum. Noſcat denique etiam nocentia, quae triplicia ſunt et ſe vertunt: 1) aut circa ipſum viſus inſtrumentum (humorem cryſtallinum), 2) aut circa virtutem (cerebrum ex quo nervi optici), aut 3) circa miniſtros (tunicas externas et reliquos humores internos.)“ Alio loco, [13]) duas modo ſervat oculorum adfectorum claſſes; laborant enim aut:

α. vitiis externis, facillime cognoſcendis, aut

β. vitiis internis, ſubditis, quorum diagnoſis intellectu eſt inveſtiganda.

---

12) De oculo c. 2. p. 366 ſq.

13) Ibid. p. 374.

His congruit, ni fallor, iam *Ariſtoteles*: ſi ad illam claſſem ὀφθαλμῶν πάθη in univerſum; ad hanc vero, τὰ ἀῤῥωστήματα τῆς ὄψεως referuntur. [14])

His igitur, quae ad generalem ſpectant medendi rationem, brevibus praemiſſis, iam tempus eſt ad ipſa oculi *vitia* [15]) transeundi et veterum hiſtoriam et de illis cognitionem enucleandi. Illa autem neque ad *Celſi*, neque ad *Galeni* diviſiones adaptanda duxi, ſed potius eum ſequutus ſum ordinem, quem hodiernae leges ſuadent et addunt; et ex oculi ipſius partibus ſumtus eſt, qui tamen aliquando veterum ſuffragiis dirigitur.

---

14) Generat. anim. V. 1. p. 1333.

15) Vitia dixi ſenſu Ciceroniano, qui egregie Tuſc. Quaeſt. IV. 13. §. 19. discriminat verba ſaepiſſime abuſa: „*Morbum* appellant totius corporis corruptionem: *aegrotationem*, morbum cum imbecillitate: *vitium*, quum partes corporis inter ſe diſſident, ex qua pravitas membrorum, diſtentio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis conquaſſatione et perturbatione gignuntur: vitium autem, integra valetudine, ipſum ex ſe ſeçernitur.“ — Excuſandus ergo *Horatius* (Serm. II. 4. 307.) dicens per euphemismum; — — quo me aegrotare putes animi vitio? —

I. Superciliorum vitia.

1. *Vulnera ſuperciliis aut vicinis partibus inflicta.*

Hippocrate Coo iam obſervante,[16]) vulnera aut in ipſa ſupercilia, aut paullo altius iniecta, viſum obſcurant et amauroſin efficiunt, (τὴν ὄψιν ἀμαυροῦνται). Vulnus recens inflictum viſum modo turbat: cicatrice autem accedente et indureſcente, ille plane diruitur. Similem et congruam cum natura obſervationem *Ariſtoteles*[17]) narrat; obſervavit ſcilicet ex vulneribus iuxta tempora, quae nervos oculi (πόρους τοῦ ὄμματος) percuſſerunt, amauroſin (σκότος), ſaepius exortam et illud vitium ex lente cryſtallina (κόρη) adfecta derivat. Iſta autem explicatio theoriae originem debet, partes oculi internas ex cerebro exundare, de qua ſupra. Denique vero *Hippocrates*[18]) ulcera circa ſupercilia et in oculis comprimenda eſſe, praecipit.

II. Palpebrarum vitia.

Palpebrae aut ex communi corporis labe, aut ex vitiis topicis, externa et interna facie, laborare

---

16) Coac. praenot. Sect. II. 23. p. 182. — Cf. caeterum, *Vulſalvae* diſſert. anat. II. — *Platneri* progr. de vulneribus ſuperciliis illatis, cur caecitatem adferant. 1741.

17) De ſenſ. et inſenſ. c. 2. p. 1432.

18) De capit. vuln. S. VI. 17. p. 182.

poſſe, auctor eſt *Galenus*. [19]) Vulnera palpebrarum *Hippocrate* teſte, aut plane non, aut aegre coaleſcunt; [20]) alio tamen loco, *Hippocrates* [21]) gloriatur, ſe ipſum cuſpidem excidiſſe ex palpebra profunde iniectam, illaeſis ipſis oculis, largo tamen ſanguine proruente. Simile auxilium tulit *Critobulus*, qui a *Curtio* [22]) inter medicos artis eximiae valde celebratur, *Philippo* laucio, qui ex regis oculo ſagittam extraxit et lumen inde amiſſum reſtituit. [23]) Caeterum dirum funeſtumque ſupplicii modum ſilere non poſſum, quo *Regulum*, Romanum nobiliſſimum et conſtantia et fide digniſſimum, a Carthaginienſibus mulctatum referunt varii auctores, ex quibus *Ciceronem* [24]) adhibeo teſtem, qui Carthaginienſes Regulum reſectis palpebris in machina illigatum vigilando enecaſſe, verbis ipſis memoriae prodit. Quod vero acerrimum ſupplicium an frequens fuerit apud Carthaginienſes, teſtimonia ignoro.

---

1. *La-*

19) De oculo T. III. p. 374.

20) Aphoriſm. S. VI. §. 19. — Ariſt. de part. anim. II. 13.

21) De morb. vulg. V. p. 245.

22) Rer. geſt. Alexandr. IX. 5. §. 25.

23) Plin. H. N. VII. 37.

24) In Piſon. c. 19. — Cf. Gell. N. A. VI. 4. Hor. Od. III. 5. 13. — Uberius rem explicat Val. Max. dict. factaq. memorab. IX. 2. — Discrepantes auctorum opiniones de genere ſupplicii, illuſtrat etiam Drakenb. ad Sil. Ital. VI. 539.

1. *Lagophthalmos.*

In Hippocraticis vix nisi tanquam symptomatis gravissimi morbi subeunt vestigia huius vitii, de quo *Celsum* habeo auctorem dignissimum. Illo enim observante, [25]) si nimium palpebrae deest, nulla id curatio restituere potest, si exiguum, mederi licet. Paulum infra supercilium cutis incidenda est figura lunata, carnibus eius deorsum spectantibus. Altitudo plagae esse debet usque ad cartilaginem, ipsa tamen illaesa: nam si ea incisa est, palpebra concidit, neque attolli postea potest. Cute igitur tantum diducta fit, ut paullulum in ima oculi ora descendat, hiante scilicet super plaga, in quam linamentum coniiciendum est, quod et coniungi diductam cutem prohibeat et in medio caruncúlam vitet: quae ubi eum locum implevit, postea recte oculus operitur. Evenit etiam λαγώφθαλμος, si nimium in ectropio curando ex cisa est cutis, ut oculus contegi non possit.“ — Ita quoque *Paulus:* [26]) λαγωφθάλμους καλοῦσι τοὺς τὸ ἀνὼ βλέφαρον ἀνεσπάσμενον ἔχοντας· τοῦτο δὲ γίνεται πάθος, ἢ φυσικῶς, ἢ ἐξ οὐλης τραύματος ἀφυῶς γεγενημένης. — *Galenus* [27]) palpebram brevem, aut pro vitio connato, aut ex perversa directione palpebrae exortam habet: nomen vero

25) De Med. VII. 7. p. 633 ed. R.
26) P. Aegin. VI. 10. Cf. Aët. Tetrab. II. Serm. 3. p. 73.
27) De oculo c. 9. p. 374.

ipſum a leporibus ſumtum ignorat; illi enim ὑπόφασις,[28]) ſemioccluſis oculis dormire vocatur vitium. — Aliter vero *Plinius*:[29]) „quin patentibus dormiunt oculis lepores multique homines, quos κορυβαντιῶν Graeci dicunt; quod verbum minime a Corybantum ſacris deductum, ſed potius a pupula (κόρη) deductum cenſeo.“ *Plinius* igitur talem oculum ex conſuetudine apud homines habere aut cum inſaniae et nervorum diſtentionis ſymptomate commutare videtur. *Philo* caeterum apud *Plinium*[30]) negat lepores oculis dormire patentibus.

2. *Ancyloblepharon.*

Graecis etiam ἀγκύλωσις vocari ſolet hoc vitium, ut ex *Galeni* variis patet locis. Primam notitiam apud *Celſum*[31]) invenio: „palpebrae inter ſe interdum coaleſcunt, aperirique oculos non poteſt. Cui malo ſolet etiam illud accedere, ut palpebrae cum albo oculi cohaereſcant, ſc. cum in utroque fuit ulcus negligenter curatum; ſaneſcendo enim, quod diduci potuit et debuit, glutinabitur. Palpebrae tantum inter ſe cohaerentes, non difficulter diducuntur, ſed interdum fruſtra: nam rurſus glutinantur. Experiri tamen oportet, quia bene ſaepe res cedit. Averſum igitur ſpe-

28) Gal. in progn. Hipp. p. 392.
29) H. N. XI. 55.
30) Ibid. 54.
31) De Med. VII. 7. p. 629.

cillum inferendum, diducendaeque eo palpebrae ſunt, donec exulceratio eius loci finiatur.“

3. *Synblepharon.*

Haud nomen quidem, omnino autem vitium veteribus notum ac cum priore ſaepe commixtum et ad ipſum relatum. Ubi albo ipſius oculi palpebra inhaeſit, *Heraclides* Tarentinus auctor eſt apud *Celſum*, [32]) adverſo ſcalpello ſubſecare magna cum moderatione, ut neque ex oculo, neque ex palpebra quicquam abſcindatur, ac ſi neceſſe eſt, ex palpebra potius. Poſt hoc oculus inungatur medicamentis, quibus aſpritudo curatur, quotidieque palpebra vertatur, non ſolum ut ulceri medicamentum inducatur, ſed etiam ne rurſus inhaereat, ipſique etiam aegro praecipiatur, ut ſaepe eam duobus digitis attollat. Ipſe vero *Celſus* tali modo reſtitutum eſſe neminem noſcit. *Meges* ſe quoque multa tentaſſe, neque unquam profuiſſe, quia ſemper iterum oculo palpebra inhaeſerit, memoriae prodidit. Ita *Celſus* l. l. *Galenus* [33]) hoc cum antecedente coniungit vitium: noſtrum vero utpote ſimul cum cornea concretum et tanquam vulnerum frequentem ſequelam indicat; medendi vero modum non addit. Idem fere eſt, quod *Aëtius* faciendum ſuadet, dum ſcalpello pterygiis deſtinato concreta exſolvit.

---

32) Ibid. l. l.

33) De oculo, T. III. p. 374.

4. *Ectropium.*

Huius quoque palpebrarum vitii nomen in Hippocraticis iam occurrit. Obſervavit enim [34]) tumores palpebrarum cum dolore et lacrymis multis calidis et ſalſis periculoſos eſſe, et facile corneam et palpebras corrodere. Ex tali tumore collapſo, ſi lacrymae et ſordes non evanuerint, viris certe palpebras everſas (βλεφάρων ἐκτροπὴν): mulieribus autem et pueris exulcerationem et nonnunquam etiam illud ipſum vitium praedicere ſolebat. Quin ſi ſordes iſtae pallidae, aut lividae fiunt et lacrymae multae et calidae, caput ardens et vigiliae his acceſſerint, tunc vulnus in oculo factum eſt et pertimeſcendum, ne oculus rumpat. Sic tanquam ectropii ſequelam, obſervavit quoque iridem prolapſam. — Allo loco [35]) ſimul curam huius vitii indicat: palpebrarum nempe praeter naturam craſſioris et luxuriatae carnis partem inferiorem reſecat, quantum facillime poteſt, dein vero palpebram adurit non candentibus, ne cilia laedantur, aut aeris flore toſto reprimit. Cruſta ubi decidit, cura per ſe liquet.

Celſus [36]) ita: Ut ſuperioris autem palpebrae vitium eſt, quo parum deſcendit, ideoque oculum non contegit, ſic inferioris, quo parum ſurſum attollitur, ſed pendet et neque poteſt cum ſupe-

34) Praedict. II. 12. p. 133.
35) De viſu c. 5. p. 42. ed. Iugl.
36) De Med. VII. 7. p. 635.

riore committi. Atque id quoque evenit interdum ex ſimili vitio curationis, interdum etiam ex ſenectute. Si ex mala curatione eſt, eadem ratio medicina eſt, quae lagophthalmum corrigit: plagae tantum cornua ad maxillas, non ad oculum convertendae ſunt. Si ex ſenectute eſt, tenui ferramento id totum extrinſecus adurendum eſt, deinde melle inungendum et quarto die vapore aquae calidae fovendum, inungendumque medicamentis cicatricem perducentibus.

Galenus [37]) palpebrae everſionem ad partem inferiorem, aut ex vulnere, aut ex carne ſuperflua in tarſo et coniunctiva palpebrali natam derivat.

Utpote vitii comites aut ſequelae conſideranda ſunt varia alia minoris quidem momenti, quorum tamen frequentiſſime apud veteres medicos fit mentio:

1. Τραχώματα μεγάλα *Hippocratis* et *Galeni*, quae acriora remedia expoſcunt.
2. Palpebrae ſcabrae, aſpritudo *Celſii*. *Hippocrates* [38]) iam praecipit, oculos indagare, an in extremis partibus rubeſcant et indurentur, anque glutinoſae tumidaeque evadant et indurentur, an tumeant et ſcabrae ſint! —

37) De oculo c. 9. p. 374.

38) De morb. vulg. II. 1. p. 202.

3. Τύλωσις [39]) (calloſitas) palpebrarum, παχύτης (craſſities praeter naturam, apud *Hippocratem* et *Galenum.*)

Palpebrae ſcabrae, *Hippocrate* docente, [40]) radendae ſunt et in hunc quidem fere modum:

„Cum vero palpebras oculi radere velis, radere eas oportet lana Mileſia, criſpa, pura, circa fuſum voluta, ipſam oculi corneam vitans, ne perturas usque ad cartilaginem. Indicio autem quando ſatis ſit raſurae, non amplius ſincerus ſanguis exit, ſed ſanies ſanguinolenta aut aquoſa. Tunc vero liquido quodam medicamento, in quo flos aeris ineſt, confricari convenit. Poſt raſuram vero et uſtionem, quum cruſtae exciderint, purgataque fuerint ulcera et carnem producere incipiant, ſectionem facere per ſynciput. Sanguine autem largo profluente, medicamento, quod cruentis vulneribus imponi ſolet, oblinere et tandem caput purgare convenit.“

Palpebrae ſcabrae, diverſorum oculi vitiorum ſymptomata, frequentiſſime a priſcis memorantur: perinde igitur ad oculos ſcabros multa commen-

---

39) Τύλος, τύλωσις: πτίλος, πτίλωσις, verba difficilius interpretanda ſunt; omnia vero palpebrarum vitium, ex quo incraſſatae rubent et cilia perdunt, exprimunt. Τύλος proprie callus eſt, et a Polluce (II. 50.) quoque de palpebris proprie utitur. Galenus caeterum plerumque τύλλος ſcribit.

40) De viſu c. 4. p. 40.

dantur remedia, quorum aliquot ex *Celſo* [41]) transſcribo, ut medicamenta ocularia mixta ad oculos curandos a veteribus adhibita, clarius intelligantur.

Aridae lippitudini et praeprimis quoque oculis ſcabris aptiſſimum convenit collyrium *Rhinion*, ex myrrha, lacrymis papaveris, ſucco acaciae, pipere, gummi, lapide haematite et phrygio ſciſſilique aut aere combuſto compoſitum. — Prodeſt etiam aliud quoddam ex aerugine raſa, pipere longo, papaveris lacrymis, pipere albo, gummi, cadmia elota et ceruſſa compoſitum. Nullum tamen melius eſt quam *Evelpidis Baſilicon*: ex lacrymis papaveris, ceruſſa, lapide Aſio et pſorico conflatum. Nulla per ſe materia eſt, quae *Pſoricon* [42]) nominatur, ſed chalcitidis aliquid, et cadmiae dimidio plus ex aceto ſimul conterantur, idque in vas fictile additum et contectum ficulneis foliis ſub terra reponitur, ſublatumque poſt dies 20 rurſus teritur et ſic appellatur. Denique mel et vinum optime quoque ſcabros levant oculos, maxime in angulis.

---

41) De Med. VI. 6. p. 573. ed. R.

42) Dioſcor. III. 105. partes duas chalcitidis accipit cadmiae tantummodo unam et ex aceto conterit. Galenus autem de pſorico ſic ſcribit: Conficitur hoc medicamentum dupla chalcitide admixta lithargyro, ante utrisque ex aceto acerrimo ſolutis, ſicque in novam ollam conjectis: nam ſimo aeſtate media diebus quadraginta obrutum ſepelies.

Aëtio palpebrae ſcabrae lippitudinem ſcabram conſtituunt, ex humorum acrimonia exoriundam.

Huc quoque pertinet blepharophthalmia, cuius hiſtoria infra, ubi de fluxu oculorum, enarratur.

5. *Tumores palpebrarum.*

a. Hydatis.

Hydatides palpebrarum a *Galeno* vocantur glandulae *Meibomii*, magnitudine valde auctae, tumidae. [43])

b. Veſica.

In ſuperioribus palpebris, *Celſo* obſervante, [44]) veſicae naſci ſolent, pingues gravesque, quae vix attollere oculos ſinunt, levesque pituitae curſus, ſed aſſiduos in oculis movent. Fere vero in pueris naſcuntur. Oportet compreſſo digitis duobus oculo, atque ita cute intenta, ſcalpello transverſam lineam incidere, ſuſpenſa leviter manu, ne veſica ipſa vulneretur et ut locus ei patefactus eſt, ipſa prorumpat, tum digitis eam apprehendere oportet et evellere, quae facile tunc ſequitur. Dein ſuperungi collyrio debet ex his aliquo, quo lippientes oculi ſuperinunguntur. Moleſtius eſt ubi veſica inciſa eſt: effundit enim humorem, neque poſtea, quia tenuis admodum eſt, poteſt colligi.

---

43) De uſu part. X. 7.

44) VII. 7. p. 625. ed. R.

c. Sykon.

Σῦκα *Hippocratis* et *Galeni* bene diſtinguenda ſunt ab ectropii ſequelis, ſc. a palpebris ſcabris (τραχώματα et incraſſatis, παχύτης ſ. τύλωσις). *Hippocrate* obſervante [45]) naſcuntur in externa et interna palpebra tumores, qui aciem viſus ſaepe turbant poſt ophthalmias humidas, diuturnas, τὰ σῦκα dicti. Item docet ſcholiaſtes *Ariſtophanis*: σῦκον, inquit, εἶδος παθήματος ἀεὶ ἐν τοῖς ὀφθάλμοις, καὶ οὐκ ἐν ἄλλῳ τινὶ μέρει τοῦ σώματος φυόμενον, ὃ φασιν ἰδιοτικῶς συκάμινον. Eadem *Pollucis* opinio: σῦκο τὸ ἐπὶ τοῖς βλεφάροις νόσημα ὅ τινες σύκωσιν. Ex ſcholiaſtae ergo tempore et auctoritate derivanda eſt noſtra denominatio, morum congenitum, quod gr. τὸ συκάμινον dicitur: τὰ σῦκα tamen mihi potius ſarcomata palpebrarum nobis ita dicta ſignificare videntur. Σῦκα caeterum apud veteres medicos promiſcue notant quoslibet tumores exaſperatos in corpore, ex quibus Romanorum ficus et mariſcae [46]) ortae ſunt. *Paulus Aegineta* [47]) enim: ὀνομάζουσι τὰ σῦκα, βλαστήματα ἑλκώδη, στρογγύλα, ὑπόσκληρα, ἐνερευθῆ, οἷς κολουθεῖ καὶ ὀδύνη· φύεται γὰρ τοιαῦτα τὸ μὲν πλεῖστον ἐν κεφαλῇ, κἂν τῷ ἄλλῳ σώματι. *Celſo* [48]) perinde igitur ſycoſis vitium eſt partium pilis ob-

45) De morb. vulg. V. p. 240.
46) Iuven. Satyr. II. 13.
47) III. 3.
48) VI. 3. p. 550 ed. R.

tectarum, cuius duas ſpecies, alteram duram et retundam, alteram humidam et inaequalem conſtituit: haec inter capitis capillos, illa praeprimis in barba. *Plinius* denique συκῆς voce abutitur, dum ad epinyctidem ſuam transfert.

d. Carbunculus.

Celſo obſervante, [49]) ſolent etiam carbunculi ex inflammatione naſci, nonnunquam in ipſis oculis, nonnunquam in palpebris: et in ipſis oculis modo ab interiore, modo ab exteriore. In hoc caſu alvus ducenda eſt, cibus minuendus, lac potui dandum, ut acria quae laeſerunt, leniantur. Quod ad cataplasmata et medicamenta pertinet, his utendum, quae adverſus inflammationes propoſita ſunt. *Nilei* collyrium etiam optimum eſt: ſi tamen carbunculus in exteriore palpebrae parte eſt, ad cataplasmata aptiſſimum eſt lini ſemen ex mulſo coctum; aut ſi non eſt, tritici farina eodem modo cocta. — Carbunculi, ut auctor eſt *Aëtius*, [50]) oculorum ruborem ab initio habent, adeo ut oculum ſibi peruri putent: tumorem vero, aut eminentiam non ſtatim inducunt: nam ob fortem caliditatem velut ruptionem carbunculus ſuſtinet, et quod effluit ab ipſo quum ſit acre et mordax, ſuperficiem quidem carbunculi reſiccat et cruſtam inducit, vicinis vero locis morbum infert: et qui in palpebris carbunculi oriuntur facilius certe iis

49) VI. 6. p. 563. ed. R.
50) Tetrab. VII. 80.

in oculis, curantur, ſiquidem hos curationem vix admittere auctor eſt *Aegineta*, [51]) et *Aëtius* perfecte ſanari poſſe negat. *Paulus* denique eundem medendi modum profitetur ac *Celſus*. — Tanquam dubium oculi morbum, palpebrae et globi oculi carbunculum indico; qui hodiernis de medicina ocularia praeceptis aut ignotus, aut parti ipſi alienus eſſe videtur. Nihiloſecius tamen *Celſus* [52]) et alii carbunculi naturam egregie perſpiciunt, medendi modum aptum laudant et bene a furunculo diſtinguunt: ita ut vix credi poſſit, priſcos carbunculum cum alio quopiam vitio commutaſſe. Haud igitur ſatis liquet, num illud globi oculi vitium, verus carbunculus, aut modo abſceſſus fuerit corneae ex inflammatione.

d. Crithe et Chalazion.

1. Prima κριθῆς veſtigia et quidem ſuperioris palpebrae in *Hippocratis* Moſcho [53]) obſervo. Illud hordeolum in ſuppurationem transiit, et quinto ſ. ſexto die pure erupto morbus ſolutus fuit. — In palpebra ſuper pilorum locum tuberculum parvum naſcitur. Tunica quiddam, quod difficulter matureſcit, comprehenſum eſt. Id vel calido pane, vel cera ſubinde calefacta foveri oportet, ſic ne nimius is calor ſit, ſed facile ea parte ſuſtineatur. Hac enim ratione ſaepe diſcutiuntur, interdum

51) De Medic. III. 20.
52) V. 28. p. 523.
53) De morb. vulg. S. VII. 11. p. 110. ed. F.

concoquuntur. Si pus se ostendit, scalpello dividi debet et quidquid intus humoris est, exprimi; eodem deinde vapore postea quoque foveri et superinungi, donec ad sanitatem pervenit. His *Celsus* [54]) optime hordeoli curam explicat. — Ex *Pauli Aeginetae* [55]) definitione: κριθή ἐστιν ἀποστημάτιον κατὰ τὸν τοῦ βλεφάρου ἐπιμηκές. Dictum est caeterum ex similitudine cum hordei grano et hordeolum ex κριθῆ ortum. *Marcello Empirico* [56]) varulus; aliis promiscue πόσθιον s. praeputiolum vocatur.

2. Alias quoque quaedam in palpebris priori non dissimilia nascuntur, sed neque figurae eiusdem et mobilia simulatque huc vel illuc impelluntur. Quae quia grandini similia sint, χαλάζια Graeci vocant. Haec incidi debent, si sub cute sunt ab exteriore parte; si sub cartilagine ab interiore, dein scalpelli manubriolo diducenda ab integris partibus. Ac si intus plaga est, inungendum primum lenibus, deinde acrioribus, si extra, superdandum quo id glutinetur emplastrum. — Haec sunt *Celsi* [57]) chalazio medendi praecepta, quae vero, cum mobile chalazion describatur, potius ad tumorem cysticum eius loci, quam ad hordeolum chronicum, magnitudine auctum s. vere

54) VII. 7. p. 625.
55) III. c. 22.
56) De Medic. VIII. p. 279.
57) l. l. p. 626.

ſcirrhoſum ſpectare videntur. — *Galenus* [58]) χαλάζιον tumorem craſſum in interna palpebrae facie appellari tradit. *Aëtius* [59]) auctor eſt, palpebras grandine affici, quum emerſis ipſis rotundae quaedam eminentiae pellucidae grandini ſimiles apparent, quibus diſfectis humor evacuatur albo ovi ſimilis: *Paulus* l. l. otioſi humoris in palpebra colluviem eſſe perhibet. — *Aëtii* caeterum verba ad *Milia* palpebrarum transfero.

6. *Trichoſis et Entropium.*

Celſus hoc vitium ciliorum intelligit, ſub pilorum palpebrarum oculum irritantium nomine. *Hippocrati* [60]) vero iam τρίχωσις vocatur, quod noſtris trichiaſeos nomine vulgo circumfertur. Τριχίασις vero aliam et maxime diverſam habet vim apud *Galenum*. [61]) Illi enim trichiaſis eſt vitium organorum uropoëticorum, ubi cum lotio corpuscula parva ſ. ſquamulae, pilis ſimiles albae efferuntur: eſt rarior morbus, et *Galeno* teſte, vix ex renibus deſtructis, ſed ex comeſis cibis, v. c. faba, aut piſo, aut caſeo, derivandus. Quamvis etiam ſimilitudo huius ſedimenti in lotio cum capillis paullulum e longinquo petita ſit, mihi tamen aptius videtur, trichoſeos potius, quam tri-

58) De oculo, c. 9.

59) Tetrab. VII. 83.

60) De acut. morb. vict. rat. p. 134. — Aliam aegrotationem puerperarum ſignificat τὸ τριχιᾶν apud Ariſt. hiſt. anim. VII. 11. p. 1007.

61) In aphorism. Hipp. comm. IV. 76. p. 70.

chiaſeos nomen eligere et retinere, quo hoc palpebrarum vitium inſigniatur. Noſtrum enim eſt, citra urgentem neceſſitatem, novos in re medica haud cudere terminos, ſed veteribus apte uti, nec autem abuti. Veterum definitiones et nomina nobis ſint ubique ſancta et pro cynosura.

Pili vero qui in palpebris ſunt, *Celſo* praecipiente, [62]) duabus de cauſis oculum irritare ſolent. Nam modo palpebrae ſuperioris ſumma cutis relaxatur et procidit, quo fit ut eius pili ad ipſum oculum convertantur, quia non ſolum cartilago quoque ſe remiſit: modo ſub ordine naturali pilorum alius ordo ſubcreſcit, qui protinus intus ad oculum tendit. — His deſcribitur plane dystrichiaſis recentium. *Galenus* [63]) rem brevibus abſolvit, de trichoſi dicens, pilos palpebrarum introrſum flexos nocere.

Hippocrates [64]) primum hoc ciliorum vitium manu corrigere praecipit. Inmittit nempe per ſummum ſuperioris palpebrae marginem, acum; quae ex foramine filum habet aliudque ſub hoc inferne transiicit, fila tunc extenſa colligit et attrahit, donec decidant: quod autem opus ubi non cedit, reiterari tradit. — In hoc loco primam ligaturae chirurgis ſic dictae et valde celebratae, inveniendam notitiam, vix vero iſtum curandi mo-

62) VII. 7. p. 631.
63) De oculo c. 9. p. 374.
64) l. l.

dum ex ipſis Coi temporibus derivandum eſſe, cenſeo. Hanc quoque trichoſin curandi rationem potius in entropio, cuius ſymptoma ſaepius eſſe ſolet, commodam habeo, quam ad corrigendos ſolum inflexos pilos, oculum irritantes. Similia fere praeſidia denique ex acu, recenti tempore et Angli laudant iterumque expetunt.

Celſus l. l. multus eſt in enumerandis modis, quibus facillime hoc vitium fugari poſſit, qui fere his conſtant:

a. Si pili nati ſunt, qui non debuerunt, tenuis acus ferrea ad ſimilitudinem haſtae latae in ignem coniicienda eſt; deinde candens, ſublata palpebra ſic, ut eius pernicioſi pili in conſpectum curantis veniant, ſub ipſis pilorum radicibus, ab angulis inmittenda eſt, ut ea tertiam partem palpebrae transeat; deinde iterum, tertioque ad alterum angulum, quo fit ut omnes pilorum radices aduſtae emoriantur. Tum ſuperimponendum medicamentum eſt, quod inflammationem prohibeat, atque ubi cruſtae exciderant, ad cicatricem perducendum. Facillime autem id genus ſaneſcit.

b. Quidam aiunt acum transſui iuxta pilos exteriorem palpebrae partem oportere, eamque transmitti duplicem capillum muliebrem ducentem atque ubi acus transiit, in ipſis capilli ſinum, qua duplicatur, pilum eſſe iniiciendum et per eum in ſuperiorem palpebrae partem attrahendum, ibique corpori adglutinandum et imponendum medicamentum, quo foramen etiam glutinetur: ſic enim fore,

ut is pilus in exteriorem partem poſtea ſpectet. Id vero primum fieri non poteſt, niſi in pilo longiore, cum fere breves eo loco naſcantur. Deinde ſi plures pili ſunt, neceſſe eſt longum tormentum, cum toties acus transſuet, magnam inflammationem moveat. Noviſſime, cum humor aliquis ita ſubſit, oculo et ante per pilos et tum per palpebrae foramina affecto, vix fieri poteſt, ut gluten, quo vinctus eſt pilus, non reſolvatur, eoque ſit, ut is eo, unde vi abductus eſt, redeat. — Ea vero curatio, quae palpebrae laxioris ab omnibus frequentatur, nihil habet dubii. Siquidem oportet contecto oculo mediam palpebrae cutem; ſive ea ſuperior, ſive inferior eſt, apprehendere digitis ac levare: tum conſiderare, quantulo detracto, futurum ſit, ac naturaliter ſe habeat. Siquidem hic quoque duo pericula circumſtant, ſi nimium fuerit exciſum, ne contegi oculus non poſſit, ſi parum ne nihil actum ſit et fruſtra ſectus aliquis ſit. Qua deinde incidendum videbitur, per duas lineas atramento notandum eſt, ſic, ut inter oram, quae pilos continet et propiorem ei lineam, aliquid relinquatur, quod apprehendere acus poſſit. His conſtitutis ſcalpellus adhibendus eſt, et ſi ſuperior palpebra eſt ante; ſi inferior poſtea propius ipſis pilis incidendum initiumque faciendum. Deinde orae vulneris inter ſe ſimplici ſutura committendae, operiendusque oculus eſt, et ſi parum palpebra deſcendet, laxanda utique, ſi nimium aut adſtringenda, aut etiam rurſus tenuis habenula ab

ulte-

ulteriore ora excidenda. Ubi ſecta eſt, aliae futurae adiiciendae, quae ſupra tales eſſe non debent. Praeter haec in ſuperiore palpebra ſub pilis ipſis incidenda eſt linea, ut ab inferiore parte diducti pili ſurſum ſpectent. Idque, ſi levis inclinatio eſt, etiam ſatis tuetur. Inferior palpebra eo non eget. His factis ſpongia ex aqua frigida expreſſa ſuperdeliganda eſt; poſtero die emplaſtrum glutinans adiiciendum. Quarto futura tollenda eſt et collyrium, quod inflammationes deprimit, ſuperinungendum.

En! ſic ipſe iam *Celſus* plures commendat modos, qui ſi pauca ex illis emittimus aut addimus, et noſtris diebus exercentur, aut certe ab Anglis iterum laudati ſunt. Externa medicamenta *Celſus* haud indicat; alii tamen et haec primum adhibuiſſe videntur; ficorum ſuccus lacteus v. c. ad pilos extrahendos a *Plinio*[65]) laudatur et reſina lentiſcina commodiſſime palpebras replicare dicitur: caetera autem infra c. 4.

Paulus Aegineta[66]) dum *Celſi* methodum curandi per pilum iniectum anſatum repetit, illi ſimul proprium nomen impertit et ἀναβροχισμὸν ſ. evulſionem per anſam appellat; longe vero utiliorem illa per uſtionem habet.

---

65) H. N. XXIII. 63. — XXIV. 16. Dioſc. I. 90.

66) VI. 13. — Act. VII. 15.

7. *Phtheiriaſis palpebrarum.*

Celſo narrante, [67]) ſi inter pilos palpebrarum pediculi naſcuntur, graviſſimum eſt vitium, quod aut ex malo corporis habitu fit, rarò non ultra procedit, ſed fere tempore interpoſito, pituitae curſus acerrimus ſequitur, exulceratisque vehementer oculis aciem quoque ipſam corrumpit. His itaque alvus ducenda, caput ad cutem tondendum: ambulationibus aliisque exercitationibus diligenter utendum; uno verbo, morbus tanquam univerſalis ita tractandus, ut phtheiriaſis vera, cuius ſymptoma eſt pth. palpebrarum. Vitandi ſunt acres cibi, lacte vinoque pingui utendum, bibendumque liberalius quam edendum. Medicamenta intus lenia danda ſunt, ne acriorem pituitam concitent. Super ipſos vero pediculos alia, quae necare eos et prohibere ne ſimiles naſcantur, poſſint. Ad id ipſum nitri ſpuma, ſandaracae, uvae taminiae partes q. v. ſimul teruntur adiiciturque vetus oleum pari portione, atque acetum, donec ei mellis craſſitudo ſit. — *Galenus* [68]) morbum modo indicat: *Aëtius* [69]) vero et *Oribaſius* [70]) uberius explicant, vix autem nova promittunt.

Celſi caeterum hiſtoria cachexiae ſcrofuloſae gradum vehementiorem illuſtrat. Id vero, de quo

67) VI. 6. p. 566.
68) De loc. aff. IV. 32.
69) Tetrab. II. Serm. III. 65.
70) XIV. 219.

fermo, animalculum, paedoris comes, hominum immundorum pubem omniumque partium pilos rigidiores infeſtans eſt. Pediculus pubis *Linn.*, [71]) qui valde forma et moribus recedit a pediculo humano L.

8. *Scabies palpebrarum.*

Praecedentis morbi ſequela, aut morbus proprius eſt ſcabies palpebrarum apud *Plinium.* [72]) Forſan quoque huc trahenda ſunt: τὰ βλέφαρα ψωρια καὶ κνησμους ἔχει apud *Hippocratem*, [73]) quae aeris flore trito et in pulverem redacto conteruntur, donec laevigata ſint. *Plinius* auxilium optimum ex ficorum recentium ſucco commendat, qui forſan haud plane diſſimilis eſt noſtris remediis, quae ex oleo amygdalarum dulcium et myrrha parantur. Vitium vero ipſum haud commutandum eſt cum pſorophthalmia vera, aut cum tinea ciliorum *Himlyi:* ne concurrit quidem cum cruſta lactea, quae *Plinio* [74]) mentagra, aut capitis lichen dicitur, in qua vero, illo ipſo bene obſervante, oculi haud ſimul corripiuntur.

9. *Madaroſis.*

Cilia palpebrarum, *Galeno* adſeverante, [75]) cadunt, aut propter humores ad ipſa fluentes, aut

71) Syſt. Nat. I. p. 611.
72) H. N. XIII. 63.
73) De viſu p. 224 b. ed. Ald.
74) H. N. XXVI. 1.
75) De oculo, c. 9. p. 374.

propter alopeciam et aliquando cum duritie et rubore palpebrarum. Saepe etiam cauſa in veneris abuſu latet. Auxilium contra caſum pilorum, eodem teſte, ſequentibus fere conſtat: Pilis ablatis laventur partes ipſae aquis ſalſis et aluminoſis et ungantur palpebrae cum ovi albumine et alumine, ſtaphis agria et farſima, i. e. ſtercore columbino. Addit quoque collyrium ex oſſibus dactylorum, et cadmia mixtum: aut aliud ex antimonio, chalcantho, et gummi tragacanthae cum melle ad collyrii ſpiſſitudinem ſubactum. Ubi cum ciliis cadentibus palpebrae fiunt craſſae, ſtercus muris cum melle temperatum valet: ſuperflui autem pili extrahendi ſunt. Non renaſcuntur, ſi radices pilorum extractae, ſanguine teſtudinis, vel dentibus caninis tanguntur. Haec *Galenus: Celſus* vero vitium ignorat.

Graecis caeterum μαδάρωσις etiam μίλφωσις, aut μίλφαι vocatur: nec quoque πτίλωσις aliena videtur, cum ſymptomata plane eadem ſint in hac, ac in illa.

III. Canthi interni vitia.

10. *Epinyctis.*

Epinyctis vocatur *Plinio*, [76]) unico quantum ſcio, auctori, ulcus, quod et ſyce, in angulo oculi perpetuo humore manans. *Celſus* [77]) eo nomine

76) H. N. XX. 21.
77) V. 28. n. 15.

appellat puſtulas liventes ac noctibus inquietantes, unde nomen factum eſt, circa quas vehemens inflammatio et intus exulceratio mucoſa reperitur. — Eſt igitur, me iudice, epinyctis idem vitium, quod hodiernis aegilops vocatur, de quo infra: forſan a *Plinio* ex errore reique inſcitia cum alio commixtum, perperam enim ab eodem cum ſyce commutatur. Puſtulae lividae apud *Plinium* et *Celſum* autem ad πέλλωμα *Hippocratis* referendae ſunt. Epinyctis denique minime cum aegilope veterum medicorum coniungi debet, ut factum eſt: alia enim remedia laudantur ad aegilopa: alia ad epinyctidem, quam *Plinius* [78]) adipe aprugno cum roſaceo et porri ſectivi foliis illitis ſanare profitetur.

11. *Encanthis.*

Celſo [79]) definiente ἐγκανθὶς tuberculum eſt in angulo oculi, quod palpebras vix diduci patitur, ex perverſo unguis opere aliisque cauſis proveniens. Congruit etiam *Galenus*: [80]) ὀνομάζεται ἡ ἐπὶ πλέον αὔξησις ἐγκανθὶς, ἡ μείωσις δὲ ῥοιάς. Optimum auxilium encanthidi medendi *Celſus* commendat ex opere, ſcalpello inſtituendo: excidi hamulo et circumcidi debet, temperata diligenter manu, ne quid ex ipſo abſcindat. Tum exiguum

78) H. N. XXVIII. 47. — Coriandrum etiam epinyctidas ſanat Plin. XX. 82.

79) VII. 7. p. 628.

80) De uſu part. X. 11.

linamentum reſpergendum eſt vel cadmia, vel atramento ſutorio, in eum angulum diductis palpebris inferendum, ſupra eodem modo deligandum, proximisque diebus ſimiliter nutriendum, tantum ut primis aqua egelida, velut etiam frigida foveatur. — Caeterum canibus admodum familiaris eſt, atque illos etiam homines frequentius infeſtat, qui continuo in mari verſantur. —

Encanthis autem duplex eſſe ſolet: benigna et maligna: illa in alteram transeunte, externo vero habitu, duritie et doloribus diverſa. *Galenus* nempe [81]) tumorem in oculi angulis deſcribit, durum, dilatatum, adſcendentem ſaepe ad ſupercilia, graviſſimis doloribus coniunctum, plumbeo colore; qui maxime poſt graves ophthalmias praeprimis mulieribus contingere ſoleat. — En igitur, quid obſtat, ne haec *Galeni* verba ad caruculae lacrymalis inflammationem ſcirrhoſam transferam? quae aptiſſime ad encanthidem ſcirrhoſam ex encanthide benigna ſimplice ſequuturam accedunt et cum illa congruunt. Huc quoque, me quidem auctore, illud palpebrae vitium et lippitudinis comes, trahendum eſt, *Hippocrati* [82]) πέλλωμα dictum, quod, illo praecipiente, teneat medicus. Πέλλωμα enim aut πελίωμα ortum eſt ab ipſius vitii colore livido in pullum vergente, qui graece πέλιος vocatur.

81) De oculo, c. 8.

82) De morb. vulg. VI. p. 296.

12. *Rhyas* f. *Rhoas.*

Eſt *Galeno* [83]) teſte illud vitium ubi ex caruncula lacrymali, antea nimium magnitudine aucta, iuſto maior pars excisa eſt, ex cuius defectu nimis copioſus fit lacrymarum curſus, qui ῥυὰς ſ. ῥοιὰς nominatur. Similiter iam *Celſus:* [84]) ſi caruncula in angulo abſciſſa eſt (v. c. in pterygii opere), pateſcit foramen, per quod poſtea ſemper humor deſcendit, ῥυάδα Graeci vocant.

IV. Organorum lacrymalium vitia.

13. *Aegilops.*

In angulo, qui naribus propior eſt, ex aliquo vitio quaſi parva fiſtula aperitur, per quam pituita aſſidue deſtillat, αἰγίλωπα Graeci vocant, idque aſſidue male habet oculum, nonnunquam etiam exeſo oſſe usque ad nares penetrat, idque interdum naturam carcinomatis habet. Huic a *Celſo* [85]) propoſitae definitioni haud plane diſſimilis eſt *Galeni*; [86]) illi enim aegilops dicitur, ulcus inter oculos et nares, quod neglectum, fiſtulam praebet et oſſis cariem efficit, pure demum per nares effluente. — Ex utraque ergo definitione conſtat, priſcorum aegilopa diverſum eſſe ab illo vi-

83) De uſu part. X. 11. p. 362.
84) VII. 7. p. 637.
85) VII. 7. p. 630.
86) De uſu part. T. III. p. 375.

tio, quod nobis vulgo aegilops vocari ſolet: illis enim auctoribus aegilops eſt fiſtula lacrymalis neglecta, in ultimum ſtadium iam profecta. — *Celſus* optimum auxilium ex manu commendat, ut ſequitur: ubi venae intentae, color pallet, cutis dura eſt et levi tactu irritatur, inflammationemque in eas partes, quas coniunctae ſunt, evocat. Ex his eos qui quaſi carcinoma habent, curare periculoſum eſt. Nam mortem etiam ea res maturat. Ea vero quibus ad nares tendit, ſupervacuum: neque enim ſaneſcunt. At quibus in angulo eſt, poteſt adhiberi curatio. Recenti re mederi facilius eſt. Hamulo ſummum eius foraminis excipiendum, deinde totum id cavum, usque ad os excidendum oculoque et caeteris iunctis partibus bene obtectis, os ferramento adurendum eſt vehementius. Quod ſi iam carie vexatum eſt, quo craſſior his ſquama accedat, quidam adurentia imponunt, ut atramentum ſutorium, vel chalcitidem, vel aeruginem raſam. — *Galeni* manu curandi modus haud alienus eſt: [87]) uſtionis ipſius autem modum *Aëtius* [88]) uberius explicat; et *Paulus* [89]) eousque adurit dum ſquama abſcedat; ait tamen eſſe qui terebrae auxilio humorem, aut pus in nares derivare contenderint. — In priſcorum ergo praeceptis omnino latet origo me-

87) Ibid. p. 362.
88) Tetrab. VII. 86.
89) De med. VI. 12.

thodi celebratae fiſtulis lacrymalibus medendi, a *Richtero* et *Watheno* laudatae.

14. *Ophthalmia* ſ. *fluxus oculorum.*

Arduum dubiisque plenum adgredior opus, morborum lacrymas largiores et pituitam ſecernentium apud veteres naturam, quorum ſymptomata varia, ſibi ſimilia, vix apte deſcribuntur, quorum cauſae non ſolum obſervantibus ipſis latuerunt, aut certe a nobis extricari non poſſunt, illuſtrandi et ex undique diſperſis notitiis hiſtoriae umbram poſt tantam annorum ſeriem nobis comparandi. Scatent vero et ubicunque referta ſunt veterum medicorum monumenta de huius generis oculorum morbis obſervationibus ſaepe feliciſſime inſtitutis et omnis plane medicina ocularia in hac potiſſimum morborum claſſe prima cepit initia, utpote illis terris frequentiſſima: et ex omnibus conſpicue elucet, quantis viribus et bono aliquando ſucceſſu inniſi fuerint medici, haec vitia corrigendi atque debilitandi. Ad modum lepide itaque de hac medicorum cruce et ſcandalo veterum, *Cicero* [90]) exemplum adhibet et dicit: „citius vero repentinus oculorum tumor ſanatur, quam lippitudo diuturna depellitur!“ —

Iſta vero oculorum adfectio Hippocraticis ῥόος, ῥεῦμα ἐς ὀφθαλμούς, ὀφθαλμία, *Romanis oculorum fluxus, lippitudo, ophthalmia,*

90) Tuſc. Quaeſt. IV. 37. §. 81.

oculorum inflammatio, *epiphora*, *delacrymatio* vocatur. Sub quibus autem nominibus varii et diverſiſſimi intelliguntur et alius morbi ſymptomatis, aut glandulae lacrymalis et glandularum Meibomii in palpebris, aut oculi tunicarum adfectarum morbi et vix ex verbis eorum et brevi hiſtoria fines diſtingui et noſtris legibus adaptari poſſunt, quibus quaelibet ſpecies, hodie ſecundum cauſas diviſae, rite diſtinguatur. *Hippocrates* [91]) tamen optime iam discrimen inter oculos δακρυόσαντους et λημῶντας poſuiſſe videtur; indicat etiam [92]) non ex eadem ſemper cauſa haec vitia exiſtere, lacrymarum tamen copiam tenendam et guſtu quoque comprobandam eſſe; ſedem vero imperite indicat, ubique tamen legibus ſuis fidus, utrumque fluxum bene dignoſcit, alterum ſc. ex cerebri vaſis lacrymas, alterum ex integumentis externis pituitam ſecernentem. *Celſus* [93]) vero omnes fere oculi morbos inflammatorios, qui lenibus curantur medicamentis et palpebrarum et tunicarum oculi, ſub lippitudinis generali quaſi nomine concipere videtur et ita ophthalmiae ſingulas ſpecies commiſcet, quae ex ſignis quibusdam modo augurari poſſunt. Alibi [94]) tamen aliud oculorum inflammatorum conſtituit genus et proprio capite ophth. ſcrofu-

91) De morb. vulg. VI. p. 278.
92) Ibid. p. 295.
93) VI. 6. p. 553.
94) VII. 7. p. 637.

loſae ſtatum chronicum dignoſcit, de pituita oculorum loquuturus. — Melius iam *Galenus* [95]) ophthalmiam perſpicit et taxat, tum triplicem habet:

1) ophthalmiam ex cauſis externis, v. c. fumo, ſole, pulvere et q. t. ſ.: illa maligna eſſe non ſolet et evanidis cauſis ipſa evaneſcit.

2) Ophthalmiae cauſa quidem fugata, tamen vitia ut in reliquis partibus apoſtemate adfectis reſident, v. c. tumor, inflammatio, durities, lacrymae largae, rubor venaeque oculi varicoſae ſ. intentae.

3) Ophthalmia gravior ob ſequelas: tarſus v. c. palpebrae extrorſum flectitur, oculus vix poteſt moveri et coniunctiva ſuper nigram adſcendit.

Poſteris demum temporibus, maxime *Pauli Aeginetae* auctoritate, hae oculi adfectiones inflammatoriae ſecundum habitum externum alio dividebantur modo; quos vero morborum ordines minus feliciter exquiſitos habeo, ac ipſam Hippocraticorum ὀφθαλμίαν et ὀφθαλμοὺς λημῶντας, ex quibus *Celſus* lippitudinem et pituitam oculorum conſtituit. *Paulo* [96]) ergo oculi inflammationes ſunt:

1) παράξις; dicitur id oculi vitium, in quo coniunctiva parum rubet, ſine tumore et dolore et ex cauſis extrinſecus oculum infeſtantibus, v. c. ſolis aeſtu, fumo, pulvere, exoriri ſolet.

95) De oculo, c. 7. p. 374.
96) De R. VI. 22.

2) χήμωσις: vitium eſt, ex quo non ſolum tunica adnata, ſed ſclerotica (ἀπονεύρωσις), ſeu albuginea quoque, a muſculis oculum moventibus exeunte, valde inflammatae adeo intumeſcunt, ut ſuper corneam ferantur.

3) φλεγμονὴ oculi, eſt inflammatio, interiores oculi tunicas et praecipue chorioideam occupans.

Iſta inepta et irridenda oculorum inflammatorum diviſio, cui ſine dubio *Galeni* praecepta ſubſunt, nuperrime tandem reiecta, ad recentiſſima tamen usque tempora immutata perſtitit, donec cauſae ipſae meliorem qui dividantur, modum indicaverunt.

Ex his igitur perſpicue elucet, veteres ad *Galenum* usque, fere omnes adfectus oculorum externos inflammatorios et glandularum pituitam et lacrymas ſecernentium et coniunctivae, ex multis variisque cauſis exortos, Graecos ſub ophthalmiae, Romanos ſub lippitudinis generali quaſi nomine cum ipſis ſequelis concepiſſe et intellexiſſe.

Lippitudo ab omnibus, quantum ſcio, auctoribus, pro oculis lacrymantibus et continuo humore madentibus, ſumitur. In quo vero errorem ſubeſſe, perſuaſum habeo. Lippitudo enim in univerſum, non ſolum ſymptoma oculorum inflammatorum, lacrymas ſignificat, ſed ſimul morbum ipſum ex quo lacrymae aliique humores largius ſecernuntur, ergo oculi inflammationem ſ. ophthalmiam, apud priſcos medicos quidem exprimit. Hanc vero ſatis audacem opinionem confirman-

dam profiteor variis argumentis: Ex *Hippocratis* ὀφθαλμιαῖς ὑγραῖς et ξηραῖς, Romanorum fictae ſunt lippitudines humidae et ſcabrae, aut aridae: in quibus vero, primarium ſymptoma, lacrymae deficiunt. *Celſus* graviores lippitudines, ſanguine miſſo et alvo ducta, curandas praecipit; ex quo colligo, lippitudinem, inflammationem oculi ipſam eſſe, cum illa auxilia inflammationi commoda ſint, cumque lacrymarum fluxum graviorem alio modo adgrediatur. Dicit quoque: quibusdam oculos nunquam ſicceſcere, ſed ſemper humore tenui madere, ex qua aſpritudo continuari et ex levibus momentis lippitudo excitari: — ubi vero oculi per ſe humore tenui madent, tunc lacrymae iam adſunt, nec illae, omnino vero lippitudo excitari debent! Denique *Plinius* (XXVIII. 17.) ipſis verbis lippitudinem ab oculis lacrymoſis diſtinguit, dum illi retro aures, huic vero frontis frictionem commodam habet. Tales oculi enim *Plinio* (XXIX. 38.) ſine fine lacrymantes, vitium vero ipſum, delacrymatio variis locis (v. c. XX. 20.) vocatur. — Teneant id linguarum medicinaeque ocularіae auctores! —

Iam vero his praemiſſis, redeo unde exii ad *Hippocratem* et a limine ſtatim ad eius ῥεῦμα ἐς ὀφθαλμοὺς diligentiam meam dirigo. Ut vero tota materies magis perſpicua evadat et clarior, nec ſine fundamento intellectui plane obſcura fiat, primum leges quaedam theoreticae, quae et diagnoſin et medendi modum illuſtrant, ab *Hippocrate* ſtabi-

litae, a nemine recentioris temporis enucleatae praemittendae sunt, quae non solum nostram περὶ τοῦ ῥεύματος confirmant opinionem, sed quoque *Celsi* curandi modi commentarium offerunt.

Hippocrates autem de oculi natura et oeconomia fere ita iudicat et morbos derivat:

Ex cerebri meningibus [97]) ad oculos excurrunt duae venae (φλέβες), tenues, quae humore purissimo in oculis residuo, ex cerebro autem exsudante, visum alant, siccae vero, illum exstinguunt. Tunicas habet oculus tres, cerebrum vero duas, quae istos humores continent et destillant. Aliae venae duae a vertice iuxta tempora excurrunt inter illa et aures, quae oculos confirmant et semper pulsant, et hae solae humores non advehunt, sed sanguinem reducunt. Visus autem (ὄψις) ex cerebri humore nutritur: ubi vero ex vasis illis noxii humoris quid destillat, fluxu turbatur (τῇ ῥύσει ταράσσεται), nec exacte cernere potest, sed obversari ipsi videntur imagines velut avicularum (οἷον εἴδωλον ὀρνίθων), [98]) interdum etiam, ut viciae nigrae (τότε δὲ οἷον φακοὶ μέλανες). — Superior vero corporis pars (c. 4. p. 144.), plura vasa habet quam inferior: unde

97) De loc. in hom. IV. Sect. c. 2. p. 138 sq.

98) Eodem sensu ex alia vero causa, Homer. Odyss. II. 155.

Ξύμβησαν δ' ὄρνιθας ἐπεὶ ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
ὥρμηνεν δ' ἀνὰ θυμόν· —

etiam ex capite ſeptem fluxus exeunt, (ῥόοι ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἑπτὰ) c. 5., quidam in aures, quidam in nares, quidam in oculos, in quibus vel maxime conſpicui ſunt. [99]). Ubi antèriores partes ob fluxum impeditum ficceſcunt, caput ſc. nares et oculi, tunc viſus obfuſcatur (τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν γίνεται ἀμβλυώσσειν), et pallidi ut totum corpus fiant: fluxus enim in poſteriorem corporis partem delabitur. At vero (c. 6. p. 146.) cum ad oculum ipſe fluxus decubuerit, oculi inflammantur et tument, qui adfectus aut liquido, aut ſicco curandi ſunt medicamento quoquo reprimente (ὑποχωρητικῷ). [100]) Ubi vero velut lapilli (οἷον λίθοι) decurrunt, remediis reſtituendae et eliciendae ſunt lacrymae et totum corpus humectandum, ut oculi etiam humidiores fiant atque concretae ad deſtillandum praeparentur. [1]) Tunc autem, ubi paullatim in oculos quid fluxerit pruritumque fecerit, adhibendum eſt medicamentum ſiccans, ſimul vero modicam ciens lacrymam, et naribus quid admo-

99) Ariſtot. de part. anim. II. 7. p. 1127, docet: fluxus ex capite oriri in iis corporibus, quibus cerebrum frigidum eſt, quam temperamentum modicum poſtulat.

100) In linguis graecis hoc verbum deeſt: fictum eſt ἀπὸ τοῦ ὑποχωρεῖν, a recedendo, hoc ſenſu, a reprimendo. φάρμακα ὑποχωρητικὰ Hippocratis ergo ſunt ea, quae Celſo (VI. 6.) reprimentia vocantur.

1) Ex hac cauſa Plautus (Mercat. III. 4. 4.) Ni ex oculis lacrymae deſcendant, iam ardeat credo caput.

vendum, ut reſiduus humor ex naribus, non ex oculis deducatur. — Duplices igitur ex dictis patent fluxus oculis proprii: alter qui ex vaſis cerebri meningum, alter qui ex vaſis exterioribus integumentorum capitis per tempora ad oculi angulos excurrit. Hic vero fluxus, qui mucum (μύξη) reſiduum inter cranii oſſa et integumenta (μεταξὺ τοῦ ὀστέου καὶ τῆς σαρκὸς) habet ad oculos excurrentem, potiſſimum cognoſcitur, ex capite fluxu iam liberato, ex ulceribus in capite eruptis, ex oculis lacrymantibus: nec quoque fluxus adhuc mordet et palpebras exulcerat, nec oculorum aciem hebetat ſed illam nutrit: fluxus enim pituitoſus, minime ſalſus (ῥεῦμα οὐχ ἁλμυρὸν), quum de cerebro non procedat.

Ex dictis igitur *Hippocratis* opinio de viſu ipſo et maxime de lacrymarum et pituitae ex oculis curſu, optime taxari et ventilari poteſt: infra quoque *Ariſtotelis* opinionem huic congruam indicabimus, qui argumenta ſimul inde derivat et expetit, caecos nempe calvos nunquam fieri. Ipſe tamen *Hippocrates* legibus ab ipſo latis contrarius eſſe videtur, dum v. c. alio loco [2]) oculorum fluxus pituitoſos ex mammis derivat: cum quo conſpi-

2) De morb. vulg. II. p. 128. ed. F. Indicat ibi etiam remedium ad oculos inflammatos, ex ſpodio, croco, olivarum nucleis, ceruſſa, et myrrha compoſitum: quibus dein frigidis per caput ſparſis porrum (πράσον) cum maza apponuntur.

ſpirat ſine dubio alia obſervatio:[3]) qua parte mamma maior, prorſus etiam maiorem et lucidiorem eſſe inter palpebram oculum. Veteres nimirum omnes, ut ſupra iam indicavimus, connexum quemdam et mutuam relationem inter partes ſexuales et quae illis cohaerent, cum oculis obſervabant, unde etiam *Ariſtoteles* [4]) oculos adfectos, fluentibus menſtruis, in ſexu ſequiori ob ſanguinis turbam et ebullitionem, aliquando vidit (ophthalmia ex catameniis anomalis). Praeterea vero liquet, oculorum externa velamenta ex cerebri meningibus, internos vero ab ipſo cerebro humores accipere et ſic ex iſtis ratiociniis et commentis interna vitia ex ſiccitate nimia, et externa ex abundante per vaſa externa temporalia humorum copia, derivantur. Tantum igitur errorem inſcitia potuit procreare anatomica et phyſiologica, qui etiam ad *Celſi* usque aetatem utpote ex tripode ſumta veritas perſtitit. Ille enim diſertis verbis, tanquam ex *Hippocrate*, perhibet, oculorum pituitam ex venis inter membranam cerebri et calvariam emitti: ſuperioribus ſc. per tempora, inferioribus, per eas membranas quae ab oculis ad cerebrum tendunt, oculos rigari. Quibus igitur quae ſupra os, nec vero quae ſub oſſe fluunt, remedia exquirenda eſſe. De hoc vero pituitae fluxu infra.

3) De ſuperfoetat. S, III. 6. p. 269.
4) De inſomn. c. 1. p. 1468.

His oculorum fluxum, tum lacrymarum, tum pituitae in univerſum conſiderantibus, ita praemiſſis, altera iam inchoanda eſt pars, quae huius generis ſingularum ſpecierum hiſtoriam, veterum theoreticis et therapeuticis ſuffragiis, illuſtrat.

a. Ophthalmia.

Ophthalmia *Hippocrati* dicitur [5]) ille oculorum fluxus, in quo oculi intumeſcunt, aures et nares ſimul adficiuntur, qui tamen minime lethalis eſſe ſolet. — Eſt morbus frequens vernalis [6]) praeſertim per oppida, ventis calidis expoſita; et ophthalmiae humidae (ὀφθ. ὑγραί), neque moleſtae, neque diuturnae eſſe ſolent, niſi ex tempeſtatis mutatione epidemicae fiant. [7]) — Hyems ſicca et aquilonaris (χειμὼν βόρειος) et ver pluvioſum et auſtrale efficit plerumque febres aeſtivas et ophthalmias ſaepe vehementiſſimas, — (ὀφθ. ἰσχυραί). [8]) — Si lacrymae multae et calidae, cum pauciſſima gramia (λήμη), ac parvo tumore, eaque ex altero tantum oculo, tunc diuturnum valde fit malum; vernum tamen ſine periculo et quodammodo doloris expers: oportet vero in his exſpectare diem vigeſimum criticum, ni hoc intret, tunc ad quadrageſimum, et niſi his diebus morbus levetur, ad ſexageſimum diem detinenda

5) De gland. c. 5. p. 293.
6) Ex Hipp. l. l. Celſ. II. 1. p. 55. ed. R.
7) De aëre loc. c. 2. p. 313.
8) Ibid. c. 6. p. 323. — Aphoriſm. III. n. 21. p. 347.

eſt criſis. Per omne vero hoc tempus ſordes conſiderandae ſunt, an cum lacrymis miſceantur, an albae et molles fiant, maxime circa dies criticos; illis enim eſt, ubi morbus evaneſcit.[9]) Αἱ δὲ κρισιες ὡς ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἔγραψα, οὕτω καὶ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν ἔχουσιν! *Criſes ergo vel maxime ut in febribus, teneamus quoque in oculis adfectis!* — Signa enim certa exſtant, quae leviorem a chronica diſtinguunt: breves ſaepe ſeptimo iam ſolvuntur die, facile tamen redeunt.[10]) Critica etiam ſaepe obſervatur diarrhoea lippienti,[11]) quod *Celſus*[12]) ita reddit, dum quamlibet lippienti ſalutarem habeat: praeſtat quoque in oculorum morbis urinae ſtatum conſiderare.[13]) — Hodierna oculis adfectis medendi praecepta ſilent de criſium vi et efficacia in oculorum morbis. *Hippocratis* tamen, cuius intentam obſervandi et morbos perſpiciendi facultatem, quae criſium naturam et ſummam dignitatem primum in aliis enucleavit et comprobavit morbis, ſine dubio minime utpote inanem repudiandam, ſed potius indagandam commendo, ni clima et mutata hominum morborumque natura et indoles, aut criſes incon-

9) Praedict. II. 12. p. 133.

10) Ibid. p. 134.

11) Dies iudic. c. 7. p. 97. — Aphoriſm. VI. n. 17. p. 356.

12) De Med. II. 8. p. 137.

13) Praedict. II. 12. p. 134.

ſpicuas reddiderit, aut plane ſuppreſſerit, quarum tamen praeſentia in acutis oculi morbis haud praetervideri poteſt. — Eandem caeterum hiſtoriam ophthalmiae noſtrae, procul dubio ex *Hippocrate* enarrat quoque *Celſus* [14]) et modo addit, ulcera haud raro ſupervenire.

In ophthalmia annua et epidemica convenit capitis et alvi purgatio: etiam ſi corpus ferat, ſanguis detrahendus eſt, ut dolores coniuncti ſupprimantur. Admoventur quoque cucurbitae circa venas, (σικυοῦσι κατὰ τὰς φλέβας): pro cibo panis, pro potu aqua conveniunt. Aeger inſuper decumbat loco obſcuro, procul a fumo et igne aliisque ſplendidis, verſus latus quodpiam dextrum, aut ſiniſtrum. Caput humidâ minime perfert: doloribus quidem evanidis, reſiduo tamen lacrymarum fluxu, cataplaſmata etiam nihil conferunt. Illa enim locum dein habent et commoda ſunt, quando tumores ſine dolore adſunt, poſt acrium, doloris cauſa inunctorum remediorum uſum. Neque etiam diu intueri confert: tunc enim lacrymae provocantur, quoniam oculus ſplendido cuilibet inimicus, illud non poteſt perferre: [15]) neque

14) VI. 6. p. 553.

15) Quodlibet ſplendidum oculos infeſtat, cf. *Hippocr.* T. I. p. 249. — Xenophontis milites oculis capti ex nive, *Galeni* de uſu part. X. 3. Ex hac igitur ratione *Democritus* apud Ariſtotel. (de ſenſ. et ſenſili c. 4. p. 1438.) colorem album oculis aſperum, nigrum vero laevem nominat.

vero diu claudendus eſt oculus, praeſertim ubi lacrymae calidae collectae retinentur, quae facile incaleſcunt. Tunc ubi fluxus perſtitit, omnino medicamentum poteſt inungi.[16]) Denique anginam et ophthalmiam vena fecta ſaepius ſanavit *Hippocrates*:[17]) *Plinius*[18]) contra lippitudines retro aures fricare et lacrymoſis oculis frontem prodeſſe, teſtis eſt. *Ariſtotelis* problema eſt:[19]) cur nonnulli poſt lippitudinem acutius videant (ὀφθαλμιάσαντες)? an quia oculi purificati? ſit enim ſaepe, ut exterior denſitas pupulae (corneae) aciem arceat, quae lacryma emiſſa emollitur et discutitur; quamobrem interdum etiam proſunt quae mordent lacrymamque provocant, ut ſcilla (κρόμμυον); obeſt vero origanum.

En! iſta ſcholae Hippocraticae praecepta, pro maxima parte, ad *ophthalmiam catarrhalem* cum *rheumatica* complicatam, ut nobis vocatur, referenda eſſe, perſuaſum habeo, quae vero ipſa, ſi pauca detrahamus et reiiciamus, noſtris quoque legibus minime offendunt contraria et illis temporibus omnino admiratione ſummaque laude digniſſima eſſe videntur. Concedo quidem, *Hippocratem* ſub ſupra dictis notis, paſſim quoque ophthalmias ex quapiam alia cauſa exortas, deſcrip-

16) De viſu, c. 9. p. 45.
17) De morb. vulg. II. p. 136.
18) H. N. XXVIII. 17.
19) Probl. Sect. 31. p. 1023.

ſiſſe. Omnino enim aliae quoque exſtant, quarum cauſae dubio omni plane carent, et ita facile comprobandae ſunt atque definiendae. — Sordes pallidae aut lividae, lacrymae multae, calidae, ardor capitis, dolores ex temporibus in oculos transeuntes, et vigiliae ſupervenientes, praeter alia et ulcus in oculo factum eſſe indicant et ne rumpat pertimeſcendum. Prodeſt vero in hoc morbo febris accedens et dolor in lumbis! [20]) — En! quid obſtat, ne hanc hiſtoriam, ab *ophthalmia arthritica* dispeſcam, cuius reditus ad morbi primarii ſedem propriam egregie ab *Hippocrate* obſervatus eſt? — Eadem fere *Celſus* [21]) quoque in lippitudine ſua repetit procul dubio ex *Hippocratis* l. l., dicens: Peius etiamnum eſt, ubi pituita calida aut livida eſt, lacryma calida et multa profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget. Siquidem ſub his oculus plerumque rumpitur, votumque eſt ut tantum exulceretur.

Hactenus praecepta Hippocratica de ophthalmia: iam *Celſum* exaudiamus. — Hic vero egregius caeteroquin auctor, quod oculi morborum hiſtoriam ad pathologiam vix novi quid et Hippocraticis inexperti largitur. Huius enim aetatis merita aut eo potiſſimum conſiſtunt, ut priſcorum obſervata in uſum converterint et comprobarint, aut quoque medendi modos excoluerint et expoli-

---

20) Praedict. II. c. 12. p. 133.

21) VI. 6. p. 554.

verint. Uberrimus perinde igitur exſtat fons remediorum ſimplicium et maxime compoſitorum, quibus ad oculos inflammatos curandos huius temporis medici uſi ſunt. Id vero non ſolum; *Celſus* medicaminum etiam indicationes et tempora explicat, ubi hoc alterumve conveniat, nec ne. Ea occaſione carpit *Hippocratem*, qui promiſcue, oculos adfectos, mero, balneis, fomentis, et medicamento, curare praecipit, ut iam in limine huius capitis vidimus, et de illis monet et vituperat, *Hippocratem* eorum tempora et cauſas parum explicuiſſe, in quibus medicinae ſummam, neque minus auxilii ſaepe in abſtinentia et alvi ductione ſitam et quaerendam eſſe. Singulas vero indicationes, quales a *Celſo* definiuntur, infra cum morbis ipſis videbimus; hic vero modo, quae in medicina ocularia iuxta priſcorum praecepta ad uſum univerſum ſpectant. Meri ergo potio convenit, ſecundum priſcos medicos, ſi dolores ex ſanguine craſſiore abundante in venulis oculorum citra plenitudinem totius corporis contento, procreantur: vinum enim calefacit, evacuat et obſtructiones tollit, auctore *Aegineta*, et id potiſſimum vinum, quod fulvum, tenue, antiquum eſt, teſte *Aëtio*. Balneum iis prodeſt, doloribus ut *Galenus* docet, qui ab acribus humoribus ad oculos fluentibus citra corporis plenitudinem oriuntur: *Aegineta* enim obſervante, balneum acres humores evocat et temperat. Fomentum vero, auctore *Galeno* confert, ubi nihil in oculos confluit: ſuperflua enim

in ipſis reſidua diſſolvit. Sanguine e vena miſſo, graviſſimae ophthalmiae debellantur, ſecundum omnium medicorum teſtimonia, ſi univerſum corpus plethora diſtenditur, ut *Galenus* ipſis verbis in libro de ſanguine mittendo praecipit.

Supra iam monuimus, *Celſum* ſub lippitudine ex variis cauſis exortas concepiſſe ophthalmias, quarum diagnoſis difficillima evadit: vix enim limites definire audeo, quibus ophthalmia catarrhalis a rheumatica et haec quodammodo ab arthritica aliisve dignoſcatur. Noſtrum tamen eſt, ſummum ex *Celſi* egregio opere, concipiendi et quod huius loci eſt, brevibus transſcribendi.

Lippitudinis metum facit, ſi frons prurit. [22]) — Primum opht. catarrhalis ſtadium *Celſo* [23]) proprium morbum conſtituit, dum ad aridam lippitudinem ſ. ξηροφθαλμίαν reiicitur. Oculi nempe neque tument, neque fluunt, ſed rubent tantum et cum dolore quodam graveſcunt et noctu pergravi pituita incaleſcunt: quantoque minor generis huius impetus, tanto finis minus expeditus eſt. In hoc vitio multum ambulare, multum exerceri, lavari ſaepe, ibique deſudare, multaque frictione uti neceſſarium eſt. Cibi neque qui implent, neque nimium acres apti ſunt, ſed inter hos medii. Convenit etiam mane finapi gargarizare, tum deinde caput atque os diutius perfricare. — Sta-

22) Celſ. de Med. V. 1

23) VI. 6. p. 573.

tum [24]) acutum et chronicum praedicendum praecipit, ex *Hippocratis* iam auctoritate, ex pituita cum lacrymis mista, ex pituita alba et molli, ex lacrymis calidis, et tumore modico; ut iam ex supra dictis notum est. Talis vero lippitudo minime cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat. Si pituita alba, mollis, cum lacrymis miscetur, plerumque brevior evadit. Ulcerum periculo tamen coniuncta est et in palpebris et in pupillis: lacrymae salsae et calidae quoque super magnum tumorem, (omnes legunt perperam dolorem), exeuntes, facile exulcerationem parant. — Ubi autem cum tumore dolor coniunctus est, et cursus copiosior pituitae sequitur, tunc quies et abstinentia, omnium prima sunt. Primo die ergo adfectus loco obscuro cubare debet et a fermone etiam abstinere, nullum cibum assumere et si fieri potest, ne aquam quidem. Si graves dolores sunt, primo, commodius secundo die, sanguis mittendus est, ubi praeprimis in fronte venae tument et si firmo corpori materia superest (constitutio sthenica). Si vero minor impetus, minus acrem curationem requirit, alvum, altero tertiove die duci oportet. Modica inflammatio neutrum ex his auxilium desiderat. Satis est uti quiete et abstinentia. Secundo iam die dari potest id, quod levissimum videtur, qualia sunt ova sorbilia, quae

24) Ibid. p. 553 sq.

pituitam faciunt craſſiorem; convenit quoque pulticula aut panis ex lacte. Inſequentibus diebus, quantum inflammationi detrahitur, tantum adiici cibis poterit. Noxium eſt quodlibet ſalſum, quodlibet acre, nihil potui praeter aquam. Haec victus ratio maxime neceſſaria eſt. — Iam ſequitur medendi modus ex medicamentis ſimplicibus et compoſitis collyriis, quorum aliquot ad communem cognitionem transſcribam. — Protinus autem primo die, crocum et farinam candidam tenuiſſimam ovi albo excipere oportet, donec mellis ſpiſſitudinem habeat, idque in linteolum illinere et fronti adglutinare. Crocus aut thus idem facit, linteolo, aut lana exceptum. Crocus quoque oculo ſuperinungendus eſt: myrrhae et lacrymae papaveris pauxillum cum paſſo contritum, ſpecilli ope ſuper oculum inducendum, praeſtat. Commodum quoque eſt, collyrium ex myrrha, ſucco mandragorae, lacrymis papaveris, roſae foliis, ſemine cicutae, acacia et gummi commixtum. Haec vero interdiu. Noctu vero, quo commodior quies veniat, non alienum eſt ſuperimponere candidi panis interiorem partem ex vino ſubactam: ea enim pituitam reprimit, lacrymas abſorbet et oculum glutinari non patitur. Si grave id et durum propter magnum oculorum dolorem videtur, ovi et album et vitellus cum mulſo praeparatum, oculos ſuperimponi poteſt. Farina quoque hordeacea cocta, et cum malo cotoneo cocto miſta, commode imponitur: penicillo quoque expreſſo

uti poteſt, ſi levior impetus eſt, ex aqua, ſi maior, ex poſca. Priora faſcia deliganda ſunt, ne per ſomnum cadant et hoc ſuperimponi ſatis eſt, quia et commode reponere et cum inaruit, iterum madefacere poſſumus. Si tantum mali eſt, ut ſomnum diu prohibeat, ἀνώδυνα danda ſunt. In ipſum vero oculum primo die, niſi immodica inflammatio eſt, nihil recte coniicitur: a ſecundo die, gravi quoque lippitudini per indita medicamenta recte ſuccurritur, ubi vel iam ſanguis miſſus, vel alvus ducta eſt. — Collyria vero ad hunc oculorum morbum nobiliſſima fere ſequentia:

1. *Philonis* collyrium, ex ceruſſae elotae, ſpodii, gummi, ſingulis partibus, papaveris lacrymae combuſtae parte minore compoſitum. — Omnia vero collyria ita conficiuntur, ut ſingula per ſe trita et miſta iterum adiecta paulatim vel aqua vel alio humore ſolvantur.

2. *Dionyſii* collyrium eſt, papaveris lacrymae combuſtae, donec inareſcant pars 1, thuris combuſti, gummi ſingul. partes 2, ſpodii part. 4.

3. *Cleonis* collyrium, nobile admodum, papaveris lacrymae frictae p. 1, croci et gummi p. 2, quibus tum teruntur, roſae ſuccus adiicitur. — Aliud eiusdem valentius: ſquamae aeris quod στόμωμα appellant, p. 1, croci p. 2, ſpodii p. 4, plumbi et eloti et combuſti p. 6 gummi mixtum. — Eius aliud quoque ad idem eſt, maxime ubi multa pituita profluit: Caſtorei p. 3, aloes p. 1, croci, myrrhae p. 2, lycii p. 3, cadmiae elotae p. 8,

ſtibii, acaciae ſucci p. 12, quod cum gummi mixtum in pyxidula ſervatur. — Aliud *Cleonis* collyrium deſcribunt *Galenus* et *Aegineta*, quod pompholygem, plumbum, crocum, aeris ſquamam, gummi recipit ex aqua pluviatili ſoluta.

4. *Theodoti* collyrium, ἀχάριστον appellatum, recipit, caſtorei, nardi indici ſing. p. 1, lycii, lacrymae papaveris, myrrhae, croci, ceruſſae elotae, aloës ſing. p. 3, cadmiae botryoidis elotae, aeris combuſti, ſing. p. 8, gummi, acaciae ſucci, p. 20, ſtibii tantundem. — Diverſa occurrunt apud *Galenum* collyria ἀχάριστα, ex aliis commixta, quae *Aëtius* (IV. S. 1. c. 109.) dicta putat quod digna illis gratia referri nequeat.

5. *Cythion* vel Tephrion collyrium, et ita a cinereo colore dictum, ex amyli, tragacanthae, acaciae ſucci, gummi ſing. p. 1, papaveris lacrymae p. 2, ceruſſae elotae p. 4, ſpumae elotae p. 8, compoſitum et aqua ſolutam.

6. *Evelpidis* collyrium, ab ipſo Trigodes dictum, ex caſtorei p. 2, lycii, nardi, papaveris lacrymae, ſing. p. 1, croci, myrrhae, aloës ſ. p. 4, aëris combuſti, cadmiae et ſtibii ſ. p. 12, acaciae ſucci et gummi ſ. p. 24, commixtum. — Quo gravior vero quaeque inflammatio eſt, eo magis leniri medicamentum debet, adiecto vel albo ovi, vel muliebri lacte: quod vero optime iam penicillo oculo ingeritur.

Ex dictis igitur oculis inflammatis medendi methodus, qualis a *Celſo* celebratur, ſatis liquet:

iam calcem addat ipſius morbi ἀποθεράπευσις, ex *Celſi* praeceptis praeſtantiſſimis prolata:

Ubi vero aliquis relevatus eſt, iamque lippitudo pituitaeque curſus conſtitit, reliquias fortaſſe leniores futuras diſcutiunt balneum et vinum. Igitur lavari debet leviter, antea ex oleo perfricatus, diutiusque in cruribus et feminibus, multaque calida aqua fovere oculos, deinde per caput prius calida, tum egelida perfundi, a balneo cavere, ne frigore afflatuque laedatur: poſthaec cibo iam pleniore quam antea, uti. Vinum bibere lene, ſubauſterum, modice vetus, neque effuſe, neque timide. Sed ſi quis in balneo ſenſit maiorem oculorum perturbationem, quam primum discedere debet, nihil eo die vini aſſumere, cibi minus quoque quam pridie. Solet tamen evenire, nonnunquam ſive tempeſtatum vitio, ſive corporis, ut pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, et minime pituitae curſus finiatur. Quod ubi incidit, iamque ipſa vetuſtate res matura eſt, et praeprimis a balneo et vino auxilium petendum. Haec enim ut in recentibus malis aliena, ſic in veteribus, admodum efficacia ſunt. Ante tamen ad cutem tonderi convenit: deinde in balneo aqua calida caput et oculos fovere, tum utrumque penicillo detergere et ungere caput irino unguento: continere in lectulo ſe, donec calor finiatur deſinatque ſudor: quadrant tunc potiones meracae, obtegendumque caput et quieſcendum. Saepe enim poſt haec gravis

ſomnus, ſaepe ſudor, ſaepe alvi deiectio pituitae curſum finit.

b. Pituitae curſus ſ. blepharophthalmia.

Neque vitii nomen, neque ſedes et cauſae verae priſcis quidem innotuerunt: omnino tamen ſequelae eius et primarium ſymptoma, pituita aucta et oculorum adfectio ipſa, eius praeſentiam prodiderunt. Fuit vero ſimul cum reliquis oculi inflammationibus, frequentiſſimum malum apud veteres, ut non ſolum ex ſingulis locis, ſed quoque ex ſequelis, ad quas plurima palpebrae vitia refero, paſſim certe ex nimis forti et acri curandi methodo exorta, coniiciendum eſt. Quod vero minime mirum eſſe debet, ſi perpendamus, blepharophthalmiam lubenter chronicam fieri et plerumque productionis univerſae labem inſignire: non ſolum enim ſcrofulas perſequitur et earum dira comes, ſed quoque ex exanthematibus omnigenis neglectis et minus bene curatis, ex diaetae vitiis et haemorrhoidibus neglectis aliisve cauſis externis, maxime apud Baccho deditos irrepere ſolet: quae omnes cauſae illis frequentiorem praebuerunt cauſam quam noſtris temporibus.

Huius autem vitii primarium ſymptoma eſt in purulentis ſordibus, e cryptis Meibomianis ſecretis, quae Graecis λῆμαι vocantur. Λῆμαι enim *Heſychio* teſte ſunt, αἱ περὶ τοὺς κανθοὺς τῶν ὀφθαλμῶν πεπηγυῖαι συστάσεις, ἢ ἐκρέουσαι τῶν ὀφθαλμῶν ἀκαθαρσίαι. Oculi hoc vitio laborantes

Hippocrati [25]) audiunt ὀφθαλμοὶ λημῶντες, oculi gramioſi forſan Romanorum. Gramiae enim ſecundum *Plinium* [26]) ſunt αἱ λῆμαι *Hippocratis*. *Feſtus* [27]) quoque: gramiae oculorum ſunt vitia, quae alii glamas vocant. *Celſo* vocantur pituita craſſa.

In antecedentibus iam *Hippocratis* praecepta de oculi natura uberius explicata perſpeximus, ibique vidimus, duplices eſſe oculorum curſus, alterum nimirum a vaſis cerebri, alterum ex vaſis integumentorum capitis communium provenientem: et en! in illo latet prima ophthalmiae, in hac vero, blepharophthalmiae notitia: illius enim primarium ſymptoma, lacrymae, huius vero pituita ſ. gramia. Huc igitur revocandae ſunt Hippocraticae de oculi oeconomia leges in univerſum, ſupra iam laudatae, quae totam ophthalmiae ſcrofuloſae illuſtrant materiem: quae etiam a *Celſo* iisdem plane verbis reiterantur in illo loco, ubi de pituita oculorum manu curandi praecepta conſtituta ſunt. Utrumque igitur exaudiamus.

Notis pathologicis ex *Hippocrate* ſupra indicatis, curandi modus laudandus iam ſupereſt. Pituitae craſſioris curſus ergo continuus, ex vaſis externis calvariae derivandus eſt iuxta *Hippocratem* et *Celſum*: quibus igitur quae ſupra os fluunt,

---

25) Praedict. II. 12. p. 132. et al. l.

26) H. N. XXV. 96.

27) III. n. 389.

nec vero quae ſub oſſe fluunt, remedia exquirenda eſſe, *Celſus* ipſe iam conſtituit.

Gradu leviori [28]) caput medicamine minus valido purgandum, et cibis et remediis deorſum ducentibus corpus attenuandum, quo attenuato, curſus perſiſtit, aut per medicamentum naribus admotum avertitur: oculus vero remediis tunc plane non eget. Quod ubi minus ex votis cedit et oculus non convaleſcit, caput ad os usque incidendum, non ſublimibus, nec transverſis ſectionibus et crebro quidem, ut collectus humor eo citius exundare et per ulcera effluere poſſit. Quod niſi commodum fuerit, nec oculus elotus, viſus acies prohibetur et ob reſiduum humorem, tanquam quopiam ſplendido intercipitur et acies plane extinguitur. Quodſi ubi circa iridem (ὄψιν) ad humorem purum cruentus inciderit, tunc pupula intus in oculo minime rotunda eſt, nec ob cruorem conſpicere poteſt, oculo enim quid obverſatur, nec perſpicue ut eſt cernere poteſt. Tunc venae quae ſemper pulſant et inter aurem et tempora ſunt, adurantur et ita obturentur: dein vero medicamenta, quae oculum humectant et lacrymas largiores eliciunt, praeſtant, ut reſidua morbi cauſa tollatur. [29]) Oculus vero ruptus mollia et adſtrin-

28) De loc. in hom. IV. S. c. 3.

29) Idem praecipit Ariſtot. Probl. S. 31. p. 1021. Quamobrem qui caeci ab ortu ſunt, calvi nunquam fiunt? an quia humor capitis multus oculos infeſtet? — In-

ſtringentia poſcit remedia, ut ulcus minus evadat, et cicatrix tenuior perſequatur. Ubi ἄργημον exſtitit, tunc in ipſis lacrymis auxilium. — Alio loco [30]) hanc methodum et inſtrumentum ad illud opus neceſſarium deſcribit: arterias nempe tamdiu urere praecipit, donec pulſus evaneſcat, ferramento cuneoli forma parato, (τοῖσι δὲ σφηνίσκους διδηρίοισι ποιησάμενος). *Hippocratis* ergo mente *Maro* [31]) canit de alia quapiam re:

„— — — Omne per ignem
Excoquitur vitium atque exſudat inutilis humor,
Seu durat magis et venas adſtringit hiantes.“

Et haec quidem *Hippocrates*: ſimilia et plane eadem *Celſo* etiam comprobantur. Dignoſcit tamen hoc malum ita, ut pituitam tenuem pro initio, craſſiorem vero pro profecto iam morbi ſtadio habeat, illamque medicamentis externis capacem, hanc vero manui commendatam praecipiat. Pituitae curſum perperam ex iisdem fontibus ac *Hippocrates* derivat, ex venis inter calvariam et cutem et ex curatione inſtituta demum diagnoſin curſus ſtabilitat, capitis raſurae modum vero uberius explicat. Loquatur autem *Celſus* ipſe, ſua-

— Indicat etiam l. l. ferramentorum candentium uſum, quibus admotis, humoris foramina obturentur. Quidam medici ſimul quoque diſſectis ante integumentis, caput obſcalpunt. —

30) De morb. vulg. II. 4. p. 208.

31) Georg. I. 88.

que praecepta profiteatur, et primum quidem, quatenus pituitae tenuis curſus medicamentis debellandus ſit:

In quibusdam [32]) perſeverat tenuis pituitae curſus, quibus alvus ab inferiore parte evocanda eſt, demendum aliquid ex cibo. Neque alienum eſt, illini frontem *Andreae* compoſitione, quae habet gummi, ceruſſae, ſtibii, ſpumae argenti et coctae et elotae partes. Ea autem ſpuma ex aqua pluviali coquitur et arida haec medicamenta ex myrti ſucco conteruntur. His illita fronte, cataplasma quoque ſuperiniiciendum ex farina, frigida aqua cocta, admixti acaciae aut cupreſſi ſucco. Cucurbitula quoque inciſo vertice, recte accommodatur aut ex temporibus ſanguis emittitur. Iungenda vero ſunt ea, quae ſquamam aeris, papaveris lacrymas, cornu cervi combuſtum et elotum plumbum, gummi et thus habent. Hoc collyrium, quia cornu habet, διὰ κέρατος vocatur. [33]) Quadrat etiam *Evelpidis* collyrium, μεμιγμένον dictum, ex papaveris lacrymis, pipere albo, gummi et aere combuſto compoſitum.

Nunc ea, quae curationem ex manu poſtuſtulant: [34]) „Quibusdam oculi nunquam ſiccescunt,

32) VI. 6. p. 567.

33) Alia collyria diaceratos indicant Galenus et Aëtius, quibus ſepiae teſtae, myrrhae partes additae ſunt.

34) VII. 7. p. 637 ſq.

ſed ſemper humore tenui madent, quae res aſpritudinem continuat, ex levibus momentis inflammationes excitat, totamque denique vitam hominis infeſtat. Idque in quibusdam nulla ope adiuvari poteſt, in quibusdam ſanabile eſt. Primum ſupervacua curatio eſt in his, qui ab infantibus id vitium habent, quia neceſſario manſurum eſt usque ad mortis diem! In illis, quibus non multa, nec acris pituita eſt, manu quidem nihil adiuvatur, medicamentis vero et victus ratione, quae pituitam incraſſant, ad ſanitatem perveniunt. Malo igitur, ex venis integumentorum externorum calvariae exeunti, poteſt adhiberi cura et quid ſit, hac fere ratione cognoſcitur. Raſo capite ea medicamenta, quibus in lippitudine pituita ſuſpenditur, a ſuperciliis usque ad verticem illini debent. Si ſicci eſſe coeperunt oculi, apparet per eas venas, quae ſub cute ſunt, irrigari: ſi nihilominus madent, manifeſtum eſt ſub oſſe deſcendere. Si eſt humor, ſed levior, duplex vitium eſt. Plurimi tamen ex laborantibus reperiuntur, qui ſuperiores venas exerceant, ideoque pluribus etiam opitulari licet. Idque non in Graecia ſolum, ſed in aliis quoque gentibus celebre eſt, adeo ut nulla medicinae pars magis per nationes expoſita ſit. Reperti in Graecia ſunt, qui novem lineis cutem capitis inciderint, duabus in occipitio rectis, una ſuper eas transverſa, deinde duabus ſuper aures, una inter eas item transverſa, tribus inter verticem et frontem rectis. Reperti ſunt, qui a capite

recte eas lineas ad tempora diducerent, cognitisque ex motu maxillarum musculorum initiis, leviter super eos cutem inciderent, inductisque per retusos hamos oris insererent linamenta, ut neque inter se cutis antiqui fines committerentur, et in medio caro incresceret, quae venas ex quibus humor ad oculus transiret, adstringeret. Quidam etiam atramento duas lineas duxerunt, a media aure ad mediam alteram aurem, deinde a naribus ad verticem. Tum ubi lineae committebantur, scalpello inciderunt et post sanguine fuso, os ibidem adusserunt. Nihilominus autem et in temporibus et inter frontem et calvariam eminentibus venis idem candens ferrum admoverunt. Frequens curatio est, venas in temporibus adurere, quae in eiusmodi malo magis tumere solent, cervice tamen ante modice deligata: tenuibusque ferramentis et retusis venae adurendae, donec in oculis pituitae cursus conquiescat. Valentior tamen medicina est, ubi tenues conditaeque venae, ideoque legi non possunt. Eodem modo cervice deligata, retentoque ab ipso spiritu, quo magis venae prodeant, atramento eas notare contra tempora et inter cervicem ac frontem, deinde cervice resoluta, quae notae sunt, venas incidere et sanguinem mittere. Ubi satis fluxit, tenuibus ferramentis adurere. Contra tempora quidem, timide, ne subiecti musculi, qui maxillas tenent, sentiant; inter frontem vero et verticem, vehementer, ut sic squama ab osse recedat. Efficacior tamen etiam-

num eſt Afrorum curatio, qui verticem usque ad os adurunt, ſic ut ſquamam remittat. Sed nihil melius eſt, quam quod in Gallia quoque Comata fit, ubi venas in temporibus et in ſuperiore capitis parte legunt. Aduſta vero lege artis curantur: et ſanguis ſubinde e novo eruptus, haemoſtaticis ſiſtitur.“ —

En! his tandem abſolutum ſit prolixum illud de ophthalmia caput. Nulla vero medicinae pars clarius indicat, quantum falſa, nec fundamentis firmis et veris iniecta theoria, in medicina nocere et immenſa mala procreare potuerit. Omni enim modo, veteres de morbi ſede vehementiſſime ſeducti medici, et haud vulgari dexteritate, vitium corrigere et vel maxime heroicis, dolore ſummo et periculo coniunctis, auxiliis debellare ſtudebant, quod noſtris temporibus vel levioribus et blandioribus, multoque aptioribus ſiſtitur, de quibus cum *Lucretio* perhibeo:

„Sic volvenda aetas, commutat tempora rerum,
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore,
Porro aliud ſuccedit et contemptibus exit.“

c. Xerophthalmia.

Ὀφθαλμία ξηρὰ, ξυροφθαλμία, σκληροφθαλμία, ξηροφθαλμία, apud *Hippocratem*, *Galenum* et *Celſum*: lippitudo arida, ſicca, ſcabra apud *Celſum* et *Plinium* ſynonyma ſunt. — Sub lippitudine arida autem varia latent oculorum vitia. *Hippocrates* praeter alias, ita ſiccam et gravem deſcri-

bit, ut oculi ſtatim rumpant (εὐθέως τὰ ὄμματα ῥήγνυσθαι). Talem inflammationem ipſe quidem nondum vidi, forſan vero eſt Xerophthalmiae ferociſſimus gradus ſynochicus ex nimis acri cura. — *Celſus* [35]) primum ophthalmiae catarrhalis ſtadium, xerophthalmiam vocat, ut iam ſupra monuimus. Aliud tamen genus oculorum inflammatorum conſtituit, huic haud quidem diſſimile, tamen quodammodo diverſum: bene tamen indicat, ex aſpritudine facile lippitudinem fieri, ex qua aſpritudo augeatur. Commendat contra hanc, ubi oculi cum dolore tument, ſanguinem ex fronte mittere, multa quoque aqua calida caput et os fovere, gargarizari ex lenticula; acria inungere, maxime Sphaerion collyrium, quod lapidem haematitem habet. Durae et craſſae palpebrae et ficulneo folio aut ſpecillo aſperato eraduntur. Victus ratio tamen tutior eſt et praeſtantior, exercitationibus ergo utimur et balneo frequentiori et aquae calidae fomentis ad oculos; cibi ſint acres et extenuantes. Praeter haec commoda ſunt varia collyria, v. c. *Caeſarianum* ex atramento ſutorio, pipere albo, papaveris lacrymis, gummi et cadmia elota compoſitum; aut *Hieracis*, quod gummi myrrhae, ammoniacum, aeruginem raſam recipit. Laudantur quoque alia, ut Canopite, Smilion, Pyxinum et Sphaerion; inter ſimplicia praeprimis fel caprinum prodeſt. — Lippitudinem aridam ex Au-

35) VI. 6. p. 571.

ſtro ſaepe obſervavit exoriundam *Celſus*, cui panis ex vino ſubactus et impoſitus valde convenit.

V. Globi oculi vitia.

15. *Strabismus.*

Ariſtotele [36]) auctore ἡ διαστροφὴ τῶν ὀμμάτων ex ſede oculi mala proficiſcitur, ex qua ſcilicet media parte non adfixi et collocati ſunt, (κατὰ τὴν θέσιν γὰρ γίνεται, τῷ μὴ κατὰ μέσων τοῦ ὄμματος κεῖσθαι.) Philoſophus ibi deſudat in explicandis ſtrabismi cauſis. Evenit vero ex oculi globo ipſo (σφαῖρα) et in circumagendo ſurſum deorſum et verſus latus quodpiam, defixo. Caute etiam dignoſcit oculos, aut ex conſuetudine, aut natura iubente, v. c. ſternutatione intrante et in homine furioſo dimotos, et pupillae directionem rectam pro diagnoſi indicat, qua oculi limi a ſtrabis recedant. Quando igitur oculorum globi ſitu diſſimili poſiti ſunt et defixi, ex eadem etiam directione radii viſus exeunt, puncto iuſto autem mutato; et intuendi ſumma poteſtate dimota: tunc enim oculo ſurſum moto, viſus poteſtas (τὸ πέρας τῆς ἄψεως) deorſum vergit, oculo autem deorſum lapſo, vis viſus ſurſum dirigitur.

Alio problemate [37]) ſciſcitatur: cur potiſſimum homini uni animantium oculi ſtrabi, aut ut

36) Problem. S. 31. p. 1021.
37) Ibid. n. 28. p. 1026.

Plinius [38]) verbotenus reddit, depravantur? — an ex utroque oculo ſibi approximato in homine, aut ex colore iridis diverſo, quae in reliquis animalibus unicolor eſt? an, quoniam homo ſolus inter animantes [39]) epilepſia corripiatur? qui morbus oculos ut caetera membra poteſt pervertere.

Variis autem oculorum motus, aut ex conſuetudine evanidi, aut naturae vitio perſiſtentes, gaudent nominibus, quorum differentias conſtituere meum eſt.

Graecis ab ipſa διαστροφῇ, ille qui oculos distortos ex ſedis vitio habet, proprie στραβὸς, στραβὼν, ex quibus Romanorum ficta ſunt, ſtrabo, ſtrabus: vitium verò ipſum στραβισμὸς aut ſtrabismus proprie vocatur. Illa autem verba paſſim promiſcue ſumuntur. Feſtive itaque *Petronius:* [40]) „in Sagittario naſcuntur ſtrabones, qui olera ſpectant, lardum tollunt.“ — Lepide quoque *Varro* apud *Nonium* [41]) de intemperantia et tumore ni fallor magiſtratuum romanorum: „multi qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti, ſc. oculis elati.“ Proverbium etiam eſt: inter cae-

38) H. N. XI. 55.

39) Errat Ariſtoteles: egregie enim *Hippocrates* iam (de morbo ſacro, S. III. §. 5.) adnotat, capras et oves frequentiſſime epilepſiae obnoxias eſſe. — Ipſe quoque ſaepe oſcines minores poſt amygdalas amaras paſtas, epilepſia emortuos obſervavi.

40) Fab. I. 39.

41) I. 109.

cos ſtrabo rex eſt, i. e. inter indoctos ſemidoctus ſapit! — Ex vitio hereditario denique cognomen erat illud Fanniorum, Pompeiorum aliorumque Romae, ut *Plinius* [42]) monet.

Paeti ſignificatio dubia eſt, ſecundum *Porphyrium* in *Horatii* locum notum, ſtrabo vocatur, qui eſt distortis oculis, paetus leviter declinatis. Aliter vero alii, v. c. *Acro*, penes quem paeti dicuntur, quorum huc atque illuc oculi velociter vertuntur. — Ex *Horatii* et *Ciceronis* locis mihi tamen verosimile videtur, paetos oculos, modo leviorem gradum ſtrabismi ſignificare. Hic enim: [43]) „redeo ad Deos, ecquos ſi non tam ſtrabones, at paetulos eſſe arbitramur?“ ille vero, dum vitium nomine lenire cupit, [44]) pater filium ſtrabonem, paetum nominat. Simili ſenſu etiam *Ovidius* [45]) canit:

„Nominibus mollire licet mala. Fuſca voretur,
Nigrior Illyrica cui pice ſanguis erit.“

Si paeta eſt, Veneri ſimilis; ſi *flava*, [46]) Minervae.“ Cur vero paetum inter colores, quaero? Idem perhibet Auct. *Priapus* [47]) Minerva flavo lumine eſt, Venus paeto. — Erat caeterum eog-

42) H. N. XI. 55.
43) N. D. I. 29.
44) Serm. 1. Sat. 3. 45.
45) Art. amat. II. 658.
46) An *rava* potius legendum? de quo colore ſupra egimus.
47) XXXVI. 4.

nomen Romanum, Aliae, Papiriae aliarumque gentium.

Limi oculi Romanorum proprie ſunt distorti, aut transverſi ex conſuetudine quapiam, aut invidia; ergo, ni ex metaphora ſumti, minime iidem ac ſtrabi. Quum ſcilicet homines diſſimulant, ſe videre quod vident et non recta facie ſed transverſa intuentur, tunc limis oculis adſpiciunt. Apte itaque *Plinius* [48]) de leonibus adnotat: dolis carere et ſuſpicione, nec limis intueri oculis. Bene igitur, limos oculos, transverſa tuentes apud *Virgilium* [49]) interpretari licet. Tales vero oculi libidinoſorum ſunt, iuxta *Ariſtotelis* obſervationem, hinc *Quinctiliano* [50]) venerei appellantur, ubi de oculorum geſtu praecipit: „laſcivi, inquit, et mobiles et natantes et quadam voluptate ſuffuſi, aut limi ut ſic dicam, Venerei:“ — limis itaque ſubrifit ocellis Cupido apud *Ovidium*. [51])

Ex dictis igitur evinco, διαστροφὴν (ex qua ſequentibus et recentioribus temporibus στραβισμὸς fictus eſt), vitium oculorum diſtortorum ex ſede perverſa: paetos leviorem gradum proprie denotare: limos vero ſemper ex conſuetudine aut ipſis moribus proficiſci.

---

48) VIII. 19.
49) Eclog. III. 8.
50) XI. 3.
51) Amor. III. 1. 33.

16. *Resolutio oculorum.*

Celso observante,[52]) resolutio oculorum, quam παράλυσιν Graeci nominant, neque victus modo, neque medicamentis curanda est. Expositisse igitur genus vitii satis est. Igitur interdum evenit, modo in altero oculo, modo in utroque, aut ex ictu aliquo, aut ex morbo comitiali, aut ex distentione nervorum, qua vehementer oculus ipse concussus est, ut his neque quoquam intendi possit, nec omnino consistat: sed huc illuc ve sine ratione moveatur, ideoque ne conspectum quidem rerum praestat! —

Hodierna de medicina ocularia praecepta silent de oculorum paralysi et illi vitio, a *Celso* egregie descripto, singulare et fere ineptum *Nystagmi* nomen concedunt. Neque tamen *Celsi*, neque hodierna denominatio, vitii naturae convenit: illa enim resolutionem, haec somnum significat: ὁ νυσταγμὸς enim somnus est et exinde vitium proprietati contrarium.

17. *Exophthalmos.*

Verbum *Aristoteli*[53]) iam usitatum, ubi oculi nimis prominent et bovinis itaque similes evadunt, ut supra iam vidimus. Apud quosdam auctores lagophthalmos eodem sensu gaudet, lepores enim oculis sunt prominentibus.

---

52) VI. 6. p. 576.

53) Problem. S. 31. 6. p. 1021.

Celſus [54]) vero hoc vitium, ex quo oculus e ſede ſua prorumpit, ex ingenti inflammatione uno impetu erupta, προπτωσιν vocat cum Graecis. lis ſi vires patiuntur, ſanguinem mitti, ſi id fieri non poteſt, alvum duci longioremque inediam induci, neceſſarium eſt. Caeterum opus eſt leniſſimis medicamentis, unde quidam *Cleonis* collyrio utuntur; efficacius autem eſt *Nilei*, ex nardo indica, lacrymis papaveris, gummi, croco, foliis roſae recentibus compoſitum, aqua fluviatili aut vino leni ſubauſtero coactum. Neque alienum eſt malicorium, vel fertulam campanam (Melilotus officinalis) ex vino coquere, deinde conterere, aut myrrham nigram cum roſae foliis miſcere, aut hyoscyami folia cum ovi cocti vitello cum paſſo aut muſſo. Quibus penicilli ope oculi foveantur, ex aqua calida expreſſi, in qua antea mel myrti, vel roſae folia decocta ſint. Inciſa cute ab occipitio, cucurbitula admovenda eſt. — Quodſi per haec reſtitutus oculus in ſedem ſuam non eſt, eodemque modo prolapſus permanet, ſcire oportet, lumen eſſe amiſſum. Deinde futurum, ut inareſcat is, aut in pus vertatur. Si ſuppuratio ſe oſtendit, ab eo angulo, qui propior tempori eſt, incidi oculus debet: ut, effuſo pure et inflammatio ac dolor ſiniatur, et intus tunicae reſidant, quo minus foeda poſtea facies ſit. Utendum deinde vel iisdem collyriis ex lacte, aut ovo, vel croco,

54) VI. 6. p. 562.

cui ovi album miſceatur. Ac ſi induruit et ſic emortuus eſt, ne in pus verteretur, quatenus foede prominebit, excidendum erit, ſic ut hamo ſumma tunica apprehendatur: infra id deinde ſcalpellus incidat tantundem; medicamenta erunt coniicienda, donec omnis dolor finiatur. Iisdem medicamentis in eo quoque oculo utendum eſt, qui primum procidit, deinde per plura loca fixus eſt.

Ingens illa oculi inflammatio, quae a *Celſo* ſupra indicatur, forſan vera erat ophthalmitis. — Quibus oculi partes ita deſtructae ſunt ex cauſa ferociſſima reſidua, illi his quoque diebus plerumque oculi exſtirpationem chirurgis ſic dictam, admittere debent, cuius operis arte inſtituti et a veteribus deſcripti modi primam notitiam in *Celſi* verbis ante laudatis perhibeo.

Multo vetuſtiora autem de oculis erutis exſtant indicia; quorum plurima ſcriptura ſacra enarrat, ſupplicii vero ipſius modum tacet. Iudaeis ſcilicet oculos funditus eruendi ex poena ritus vel acerrimus erat. Illa vero exempla in locis ipſis conferantur, quorum notiſſimus eſt, ubi Simſoni, aut Zedekiae oculi effodiuntur.[55]) Eandem hiſtoriam Oedipodis factum ſingulare comprobat, quod in *Senecae* Oedipode belle exornatum legendum eſt. Clarus enim ille ὀφθαλμώρυχος,[56])

55) Iudic. XVI. 21. — Ierem. XXIX. 7.

56) Aeſchyl. Eum. 186.

ut iuſſa faciat debitasque poenas ferat, matris nuptias patremque occiſum expiet. [57])

„Scrutatur avidus manibus uncis lumina,
Radice ab ima funditus vulſos ſimul
Evolvit orbes. Haeret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Alte receſſus luminum et inanes ſinus; [58])
Saevitque fruſtra, plusque quam ſat eſt, furit.
Tantum eſt periculum lucis, attollit caput
Cavisque luſtrans orbibus coeli plagas,
Noctem experitur. Quicquid effoſſis male
Dependet oculis, rumpit et victor deos
Conclamant omnes. Parcite, en, patriae precor:
Iam iuſſa feci, debitasque poenas tuli!“ etc.

Ex ioco caeterum apud *Plautum* [59]) adoleſcens increpat: oculum ego effodiam tibi, ſi verbum addideris: et proverbium Romanis de re quapiam cariſſima: eripiet quivis oculos citius. [60])

---

57) Senec. Tragoed. Oedip. V. p. 128. ed. Elz.

58) Ovid. Metam. XIII. 564. — *Sinus*, hoc aliisve locis minime, ut meliores γλωσσογραφοὶ perhibent, canthum oculi internum, ſed omnino caveam oſſeam, in qua globus oculi deliteſcit, ſignificat. Varia huic parti impoſita nomina, incongrua pro maxima parte: *orbitam* Albertus Magnus primus Riolano teſte (anthropogr. IV. 4.) dixit, quae proprie veſtigium rotae decurrentis exprimit. *Arculus* ſ. *pelvicula Polluci* (onomaſt. p. 188); *conchus* ſ. *concha* Ruffo (de corp. h. part. appell. III. 1.); *cavitas*, *cavea*, *cavum* Riolano (l. l.); *caverna* ſ. *foramen* oculi Celſo (de med. VIII. 1.), vocatur.

59) Trinumn. II. 4. 62. — Perſ. V. 2. 16.

60) Horat. Serm. II. Sat. 5. 35.

18. *Atrophia oculi.*

Caute distinguenda eſt atrophia a phthiſi oculi apud priſcos medicos: illa nimirum globi, haec, iridis vitium, de quo infra. Atrophiam oculorum *Celſus* [61]) ſub oculis aliquo caſu imminutis intelligit et *Hippocrates* [62]) ex ſiccitate nimia, praeprimis tempeſtatis, φθινώδεες ὀφθαλμίας obſervavit, quae cum oculis tabem inferant, nihilóſecius ad hoc vitium trahendas exiſtimo. — De his vero oculis imminutis *Celſus* ita praecipit:

Evenit etiam, ut oculi vel ambo, vel ſinguli, minores fiant, quam eſſe naturaliter debeant. Idque et acer pituitae curſus in lippitudine efficit et continuati fletus et ictus parum bene curati. Conveniunt et in his lenia ex muliebri lacte. Cibis vero his qui maxime corpus alere et implere conſuerunt. Vitandaque omni modo cauſa, quae lacrymas excitet, curaque domeſticorum, quorum etiam, ſi quid tale incidit, eius notitiae ſubtrahendum: noxia etiam ſunt acria medicamenta et acres cibi, quoniam lacrymas movent.

Hoc denique vitium, vehementes etiam capitis dolores et febres acutas perſequitur.

19. *Oculi ſanguine ſuffuſi.*

Celſo [63]) praecipiente, ſi extrinſecus interdum ictus oculum laedit, ut ſanguis in eo ſuffundatur,

61) VI. 6. p. 565.
62) Aphoriſm. S. III. §. 16.
63) VI. 6. p. 578.

nihil commodius eſt, quam ſanguine vel columbae vel palumbi, vel hirundinis inungere. Neque id ſine cauſa fit, cum horum acies extrinſecus laeſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celeberrimaeque hirundines. Unde etiam locus fabulae factus eſt, aut per parentes, aut id herba chelidonia reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. Eorum ergo ſanguis noſtros quoque oculos ab externo caſu commodiſſime tuetur, hoc ordine, ut ſit hirundinis optimus, deinde palumbi, minime efficax columbae, et illi ipſi et nobis. Supra percuſſum vero oculum ad inflammationem leniendam, cataplasmata expoſcunt. Ammoniacus tritus et oleo exceptus ad craſſitudinem ſtrigmenti valde convenit. — Sanguine oculi ſuffuſo caeterum *Plinio* [64]) teſte, capram iunci punctu liberatam eſſe, infra illuſtrabimus. *Galenus* hoc vitium, αἱματώδεις ὑποχύσεις, ſ. ſuffuſiones ſanguineas vocare ſolet.

VI. Oculi tunicarum vitia.

a. Coniunctivae.

20. *Pterygium.*

An πτερύγιον *Hippocratis* [65]) huc trahendum ſit, neſcio. *Celſus* [66]) autem egregie huius vitii curam abſolvit, fere ut ſequitur:

Un-

64) H. N. VIII. 76.
65) Praedict. II. 12. p. 134.
66) VII. 7. p. 626.

Unguis, quod pterygion Graeci [67]) vocant, eſt membranula nervoſa, oriens ab angulo, quae nonnunquam ad pupillam quoque pervenit eique officit. Saepius a narium, interdum etiam a temporum parte naſcitur. Hunc recentem non difficile eſt discutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis extenuantur. Si inveteravit, iamque ei craſſitudo quoque acceſſit, excidi debet. Poſt abſtinentiam vero unius diei, vel adverſus in ſedili contra medicum is homo collocandus eſt, et ſic averſus, ut in gremium eius caput reſupinus effundat. Quidam, ſi in ſiniſtro oculo vitium eſt, adverſum; ſi in dextro, reſupinum collocari volunt. Alteram autem palpebram a miniſtro diduci oportet, alteram a medico. Sed ab hoc, ſi ille adverſus eſt, inferiorem; ſi ſupinus, ſuperiorem. Tum idem medicus hamulum acutum paulum mucrone intus recurvato ſubiicere extremo ungui debet, eumque infigere, atque eam quoque palpebram tradere alteri, ipſe hamulo apprehenſo levare unguem, eumque acu traiicere linum trahente. Deinde acum ponere, lini duo capita apprehendere et per ea erecto ungue, ſi qua parte oculo inhaeret, manubriolo ſcalpelli diducere, donec ad angulum veniat. Deinde invicem modo remittere, modo attrahere, ut ſic et eius initium et finis anguli reperiatur. Duplex enim pericu-

67) Digitorum vitium eiusdem nominis deſcribit Celſ. VI. 19. p. 609.

lum eſt, ne vel ex ungue aliquid relinquatur, quod exulceratum vix ullam recipiat curationem, vel ex angulo quoque caruncula abſcindatur, quae ſi vehementius unguis ducitur, ſequitur. Verus ergo anguli finis utique noſcendus eſt, qui ubi ſatis conſtitit, non nimium adducto ungue ſcalpellus adhibendus eſt, deinde excidenda ea membranula, ne quid ex angulo laedatur. Eo deinde ex melle linamentum ſuperdandum eſt, ſupraque linteolum et aut ſpongia, aut lana ſuccida; proximisque diebus diducendus quotidie oculus eſt, ne cicatrice inter ſe palpebrae glutinentur. Siquidem id quoque tertium periculum accedit, eodemque modo linamentum imponendum ac noviſſime inungendum collyrio, quo ulcera ad cicatricem perducuntur. Sed ea curatio vere eſſe debet aut certe ante hyemem.

Eandem curandi rationem commendant *Paulus* [68]) et *Aëtius;* [69]) *Caſſius* duplex pterygii genus conſtituit: primum, quoties nervoſa quaedam eminentia coniunctivae adnaſcitur, quae ab angulo maiori oritur et usque ad corneam progreditur; alterum, quum coniunctiva in calloſum tuber excreſcit, quo piſcatores maxime infeſtari, idem auctor eſt. Id alterum ſit pterygium pingue nobis ita dictum.

---

68) VI. 14.

69) VII. 20. 5.

β. Scleroticae vitia.

21. *Clavus oculorum.*

Celſo praeceptore,[70]) clavi vocantur calloſa in albo oculi tubercula, quibus nomen a figurae ſimilitudine eſt. Hos ad imam radicem acu perforare commodiſſimum eſt, infraque eam excidere, deinde lenibus inungere.

Aliter *Aëtius*:[71]) quum maximum fuerit factum ſtaphyloma, et extra palpebras transgrediatur et ita induretur ut ipſa cornea circumcirca colloſa facta ſit. Aliud vitium γόμφον *Galeni* conſtituit. Clavus *Celſi* vero forſan eſt pupula coniunctivae hodie ita dicta.

22. *Staphyloma.*

Prima veſtigia huius vitii in ipſis iam *Hippocraticis* indagavi.[72]) Auctor enim dum oculorum ſtructuram enarrat, refert quoque, tunicam externam craſſiſſimam (ſcleroticam intelligo) laeſam, morbum facere: mediam vero etiam, ubi rupta fuerit, periculi plenam eſſe et foras veluti veſica propendere (ἐξίσχει οἷον κύστις).

Celſus[73]) uberius ſtaphylomatis naturam explicat et ſimul quoque medendi modum laudat, qui ſine dubio recentioribus non ſolum palmam

70) VII. 7. p. 634.
71) l. l.
72) De loc. in hom. S. IV. p. 138.
73) VII. 7. p. 634.

praeripit, ſed etiam plane unicum ſpondet auxilium. — In ipſo ſcilicet oculo nonnunquam attollitur tunica, ſive ruptis intus membranis aliquibus, ſive laxatis, et ſimilis figura acino fit, unde etiam Graecis σταφύλωμα vocatur. Curatio duplex eſt: 1) ad ipſas radices per mediam transſuere acu duo lina ducente. Deinde alterius lini duo capita ex ſuperiore parte, alterius ex interiore adſtringere inter ſe, quae paulatim ſecando id excidunt. Altera in ſumma parte eius ad lenticulae magnitudinem excidere, deinde ſpodium aut cadmiam infricare. Utrolibet autem facto, album ovi lana excipiendum et imponendum, poſteaque vapore aquae calidae fovendus oculus et lenibus unguendus eſt.

Galenus [74]) hoc vitium uveae egreſſionem vocat, quae quatuor fieri dicitur modis: 1) ubi parum egreditur, tunc puſtulam ſolum refert, unde oculus bene et discrete inſpiciendus eſt, et videndum, an prolapſa pars concolor, ſolum apoſtema; aut discolor, vera iris ſit, quod vitium auctoribus Definit. et Iſagoges μυωκέφαλον audit; 2) alias magis prominet et egreſſa ſatis perſpicua; 3) tantum egreditur, ut palpebrae minus praevaleant et cilia pungentia connivendo dolorem inferant, quod vitium μῆλον vocatur; 4) γόμφος ſ. clavus, tunicae dehiſcunt et uveam operiunt, unde eius forma clavum fere refert. — Fuſius caeterum curatio-

74) De oculo, p. 375.

nis modos varios deſcribunt *Paulus*[75]) et *Aëtius*;[76]) ille tamen aptiſſime monet ſtaphylomatis opus ex manu inſtitui, non ut abolitum viſum reſtituamus, verum ut moderatum aegrotanti decorem conciliemus.

23. γ. *Corneae vitia.*

Ariſtoteles[77]) iam corneae naturam optime taxat et deſcribit. Tunica enim, quae pupillae praetenſa eſt, illo auctore ſit pellucida, ergo alba, laevis et tenuis: tenuis vero ut motus externos recte incidat; laevis ne rugis obumbret, ex qua cauſa ſenes cum acute non cernunt, ut reliquarum partium cutis, ſic quoque oculorum ſeneſcentium obrugatur et craſſior redditur; alba eſſe debet, quoniam nigrum pellucidum eſſe non poteſt. — *Ariſtoteles* igitur corneam obſcuram et corrugatam ex aetate derivat, et *Galenus*[78]) illud ſenum vitium ex imbecillitate ſenectae et ſpiritus inopia inter corneam et humoris cryſtallini ſpatium exortum habet. In vivo enim oculus tenſus eſt, et plenus, nunquam pars ulla laxa et corrugata; in mortuis vero iam rugoſior evadit cornea ut totus oculus.

Illud autem vitium hodiernis medicis vocatur ῥυτίδωσις.

---

75) VI. c. 19.
76) VII. c. 24.
77) De generat. anim. V. 1. p. 1333.
78) De uſu part. X. 8. p. 357.

a. Puſtulae.

Ex inflammatione interdum puſtulae fiunt, ut ex *Celſi*[79]) verbis iam elucet et comprobandum eſt. Quodſi inter initia ſtatim incidit, magis etiam ſervanda ſunt, quae de ſanguine et quiete commendantur in lippitudine; ſin ſerius, quam ut ſanguis mitti poſſit, alvus tamen ducenda eſt, quod ſi etiam inhibetur, utique victus ratio ſervanda eſt. Medicamentis lenibus opus eſt, quale *Nilei* et *Cleonis*. *Philetis* ad puſtulas oculorum aptiſſimum eſt, ex myrrha, lacrymis papaveris, plumbo eloto, terra ſamia, tragacantha, ſtibio cocto, amylo, ſpodio eloto, et ceruſſa alba compoſitum et ſingulis ex aqua exceptis.

b. Ulcera.

Ex puſtulis, *Celſo* iam teſte, fiunt ulcera,[80]) quae *Hippocrate*,[81]) *Celſo* et *Galeno* obſervantibus, fere ubique originem debent inflammationi praegreſſae, et graviſſimi momenti ob ſequelas difficillimas habentur. Ulcera corneae autem pertimeſcenda ſunt, ubi lacrymae calidae et falſae obveniunt, pueris praeſertim et mulieribus hoc vitium frequens fieri ſolet. Ulcerum locus et profunditas conſideranda eſt. Parva vero ulcera, etiamſi cicatrix iam acceſſerit, in corporibus iuvenilibus et ſi recentia ſunt, omnino curam ex-

79) VI. 6. p. 564.
80) VI. 6. p. 565.
81) Praedict. II. 12. p. 133.

cipiunt. Quibus vero ulceribus vel maxime laborant, laeduntur et pupulae ſ. potius illi praetenſa cornea exulceratur. — Alio loco [82]) ex fluxu oculorum, qui fortes et acres habet lacrymas, quae omnes quas defluunt partes corrodunt, tunicam etiam pupulam obvelantem rumpunt atque exedunt (τὸν ἀμφὶ τὴν ὄψιν χιτῶνα). — Saepe etiam illo obſervante [83]) tam magna et gravia evadunt oculorum ulcera, ut omnis plane corneae ambitus ſimul exulcerent.

Ulcerum vero plures ſunt ſpecies, quibus etiam a veteribus varia impoſita ſunt nomina. *Hippocrates* [84]) iam quatuor dignoſcit, dicens: ἀχλύες, νεφέλαι καὶ αἰγίδες ἐπιλεαίνονταί τε καὶ ἀφανίζονται, ἢν μὴ τρῶμα τι ἐπιγένηται ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, ἢ πρόσθεν τύχη οὐλὴν ἔχων ἐν τῷ χωρίῳ, ἢ πτερύγιον: haec igitur poſſunt, ut docet, laevigari et deleri, ni illo loco vulnus acceſſerit, aut ni antea iam cicatrix, aut pterygium adfuerit. — Alia diſtinxerunt propriis nominibus et nota iam uberius explicarunt, qui *Hippocratem* ſequuti ſunt:

1. Φλυκταίναι, quae levata epidermide corneae et frequentius huius extremo, ubi coniunctiva finitur, inſident. Illae vero apertae exulcerationem colore humori ſuo ſimilem offerunt, teſte

82) De veter medic. S. 1. 9. p. 30.
83) De morb. vulg. IV. p. 226.
84) Praedict. II. 12. p. 134.

Aëtio.[85]) Transitum igitur praebet a pustula ad ulcus. Simile est:

2. Ἄργεμον, ab *Hippocrate*[86]) iam commemoratum vitium, quod *Galeno*[87]) et *Aëtio*[88]) testibus ex pustula fit, quae in aliqua parte extremae corneae, ubi cum coniunctiva committitur, nascitur. Ulcusculum vero in circulo, ubi intus uvea s. iris sclroticae inhaeret, serpit.

3. Ἀχλύς, ulcus est minime profundum et a mala pituita, epidermidem, qua cornea contegitur, rodente, ortum, *Galenus*[89]) tamen hoc vitium ad cicatrices referre videtur, et *Hippocrati*[90]) τὰ ἀχλυώδεα etiam dicuntur caligines ex intus natis imbecillitatibus ortae. — Vix differt caeterum ab hoc ulcere τὸ νεφέλιον.[91])

4. Αἰγίς, inter corneae ulcera ab *Hippocrate*[92]) iam numeratur et Etymologici magni auctor, αἰγιάδες, membranas vel subalbidas cicatrices in oculis significare indicat, unde etiam αἰγίλωψ fictum est.

---

85) Tetrabl. VII. c. 31. p. 121.

86) Praedict. II. 2. p. 102. — Minime iridis sed corneae vitium, ut male docti perhibent.

87) In Medico, c. 16.

88) l. l. 26. p. 127. Aliam definitionem habent Auct. Def. p. 265 et Erotian. Diet. T. H. p. 113.

89) Medic. c. 16.

90) In Coac. p. 578.

91) Galen. defin. T. II. p. 269.

92) Praedict. II. 12. p. 508.

5. Βοθρίον est ulcus cavum, parvum et rotundum.

6. Κοίλωμα, ulcus latum, profundum; τὰ κοιλώματα *Dioscoridis* Plinio vertuntur, inanitates ulcerum. [93])

7. Ἔγκαυμα vel ἐπίκαυμα, ulcus est impurum, sordidum et quasi adustum, ut ex *Galeni* et *Aëtii* locis iam indicatis liquet.

Celsus [94]) ulcera post inflammationem residua dignoscit: *supercrescentia, sordida, cava et vetera.* Supercrescentia collyrio μεμιγμένον dicto optime reprimuntur. Sordida purgantur aut eodem, aut alio quod *Smilion* vocatur, et ex aerugine, gummi ammoniaco, et minio sinopico, ex aqua aut aceto solutis, compositum est. Laudandum etiam est *Evelpidis Phykon* dictum collyrium, ex croco, lacrymis papaveris, gummi, aere combusto et eloto, myrrha, et pipere albo commixtum. — Ulcera cava commodissime implentur collyrio *Sphaerion* dicto, ex lapide haematite eloto, cadmia elota, myrrha, et croco compositum. Praestat etiam *Philetis* aut *Hermonis* collyrium.

c. Cicatrices.

Ex ulceribus necesse est, cicatrices fiant, quae in cornea, aciem visus hebetiorem reddunt, et si crassiores sunt, visum plane corrumpunt. — *Ari-*

93) H. N. XXXIV. 50.

94) VI. 6. p. 568 sq.

ſcoteles iam problema habet: [95]) cur potiſſimum cicatrices (οὐλαὶ) oculorum albae, in reliquis autem partibus nigrae evadant? an, quod colorem parti contrarium adſumant, in qua exiſtunt? (iris ſc. nigra, ergo cicatrices albae, cutis alba, illae igitur nigrae fiunt.) —

Pertinent huc quoque vitia, gradu quidem graviora, de quibus veteres multi ſunt, λεύκωμα et παράλαμψις. *Hippocrates* [96]) iam dum corneae vitia refert, monet: ἢν δὲ παράλαμψις (male legit Ald. παράληψις) γένηται, ἀπολευκάνη τοῦ μέλανος μόριόν τι, εἰ πολὺν χρόνον παραμένη καὶ τρηχείη τὲ καὶ παχείη, καὶ μνημόσυνον ὑποκαταλιπεῖν! paralampſis ergo nigro oculi oritur et partem nigredinis dealbat, quae ſi diu perſiſtit, craſſa et aſpera fit, tunc ſemper eius vitii veſtigia remanent. Eadem verba recitat ex *Hippocratis* loco *Celſus.* [97]) Illis autem corneae vitiis, ni fallor, aliud accenſendum eſt, quod in oculis inareſcere dicitur et forſan cicatricem exaſperatam corneae denotat. Vocatur id *Hippocrati* [98]) ἄχνη ſ. ſpuma.

Celſo [99]) praecipiente, cicatrices duobus vitiis periclitantur, ne aut cavae, aut craſſae fiant. Si cavae ſunt, poteſt eas implere, collyriis *Sphae-*

95) Probl. n. 24. p. 882 et 883.
96) Praedict. II. 12. p. 134.
97) VI. 6. p. 554.
98) De morb. vulg. VI. 1. p. 256.
99) VI. 6. p. 170.

rion et *Aſclepias* dictis, quae lacrymas papaveris, ſagapenum, aeruginem, cuminum, piper, cadmiam elotam, et ceruſſam recipiunt. Craſſae cicatrices extenuantur collyriis. Smilion et *Canopites* dictis, quod habet cinnamomum, acaciam, cadmiam elotam, crocum, myrrham, lacrymas papaveris, aes combuſtum cum aqua pluviali commixta. Quadrat quoque *Evelpidis Pyxinon*, quod ex ſale foſſili, ammoniaco, thymiamate, lacrymis papaveris, ceruſſa, pipere albo, croco ſiculo, gummi et cadmia elota conſtat. Maxime tollit cicatrices, ex gummi, aerugine et crocomagmate. — Reliqua ſimplicia, quorum haud parva copia commendatur, quibus ἀνάπτωσις exercebatur, infra c. 4 laudantur.

24. *Onyx. Hypopyum.*

Maxima ambiguitas eſt in vocabulis, graecorum πτερύγιον, quod *Celſo* unguis appellatur, et ὑπόπυον et ὄνυξ. *Paulus* [100]) ὑπόπυον ita deſcribit, ut utrumque vitium, et τὸ ὑπόπυον et τὸν ὄνυχα comprehendiſſe videatur. Dubia quoque eſt hypopyi definitio in libro illo *Galeno* vulgo adſcripto, cui *Medicus* titulus, [1]) et πυώσεως definitio [2]) ne aliena quidem videtur. Alio tamen loco [3]) *Ga-*

100) III. c. 22. ed. Gr.

1) Tom. II. p. 592. c. 16.

2) Defin. I. p. 269.

3) De meth. med. XIV. 19.

Ienus τὸ ὑπόπυον ita deſcribit, ut neque cum onyche, neque cum ungue commutari poſſit: comparat enim illud cum ſuffuſione (μετὰ τοῦ ὑποχύματος) et ſimul indicat, medicum fuiſſe ocularium *Iuſtum* nomine, qui in hypopyo medendo, caput ſuccuſſerit et punctione pus deorſum derivaverit. Id vero auxilium omnino commodum eſt in hypopyo, in quo pus in aqueo humore intra oculi cameram anteriorem, non vero in onyche, ubi pus intra corneae laminas ſubſidet, opitulari poteſt. Alioquin *Galenus* etiam perhibet, τῷ ὑποπύῳ, inciſa cornea, mederi. Longe melius autem et cautius utrumque vitium diſtinguit et ſub πυώσεως nomine comprehenſum, deſcribit *Aëtius*, [4]) qui de utroque fere ita praecipit αἱ γινόμεναι ἐν τοῖς ἕλκεσι πυώσεις, διαφόρου προσηγορίας τετυχήκασιν. Ὄνυχα μὲν γὰρ λέγεται, ὅταν ἀπὸ βαθυτέρου ἕλκους τὸ πύον ἀπόῤῥυεν· καὶ μεταξὺ τῶν χιτώνων παρεμπεσὸν καὶ σχηματισθὲν τῷ κύκλῳ τῆς ἴριος, ὁμοίαν ὄνυχος ἀποτομῇ φαντασίαν ἀποτελέσει· πλείονος δὲ συστάντος πύον. καὶ τὸ ἥμισυ τοῦ μέλανος ἀπολαβόντος. ἢ καὶ δι' ὅλου τοῦ κερατοειδοῦς διαυγουμένου, ὑπόπυον εἶναι λεγόμενον τὸν ὀφθαλμόν. γίνεται δὲ ταῦτα καὶ χωρὶς ἑλκώσεως κεφαλαλγίας προηγησαμένης ἢ ὀφθαλμίας· συμβαίνει δὲ καὶ φλεγμονῆς προγεγενημένης, διὰ τὴν πλείονα πλήρωσιν τῶν ὑγρῶν. ῥηγνυμένων τινῶν ἀγγείων, καὶ τοῦ ἐξ αὐτῶν προχεομένου αἵματος πυομένου. — Onyx nimirum illud vitium

4) VII. c. 30. p. 127.

ſignificat, in quo pus intra corneae lamellas haeret: hypopyon autem, ubi pus ſub cornea collectum, plerumque ex ſanguine intus in oculo ex venis deſtillatum et in pus mutatum eſt. — Ab hoc diverſum eſt aliud eiusdem nominis, τὸ ὑπόπυον, quod ſuffuſionem ſub oculo exortam et ubi ſanguis ſub oculis effuſus iam liveſcit, denotat: eſt igitur τοῦ ἐκχυμώματος forma, ad quod ab ipſo iam *Galeno* [5]) relatum eſt. *Hippocrates* [6]) etiam τὰ ὑπὸ τοῦς ὀφθαλμοὺς ὑπώπια ὠχρά memorat, quae ad hoc vitium, nec autem ad hypopya referenda ſunt, ad quae male ab *Aldo*, *Mercuriali* et *Foeſio* transferuntur.

25. δ. *Iridis vitia.*

Huius partis ſubtiliſſimae et occultae vitia veteribus vix ita nota eſſe potuerunt, cum ad illa perſpicienda iam interioris ſtructurae et naturae oculi neceſſaria ſit cognitio. Veteres tamen minime omnes mutationes et aberrationes, quae in iride fieri ſolent, praeterviderunt. Eius enim varios colores ſupra iam cum *Ariſtotelis* obſervationibus illuſtravimus, et ad leges quasdam communes relatos vidimus. Colores vero non ſolum, ſed quoque iridis varii motus reciproci *Hippocrati* iam innoteſcunt et *Dioscoride* et *Plinio* au-

5) De comp. med. ſec. loc. V. 1. p. 457. — Paul. IV. 30.

6) De morb. intern. T. II. p. 211.

ctoribus anagallis pupulam dilatat, ſeillae ſucous vero contrahit. Quam vero anagallidis vim non ſolum comprobo, ſed quoque vetuſtiorem multo habeo, ac hyoscyami et belladonnae ſuccos efficaces in pupula dilatanda expreſſos, a primis noſtrae aetatis commendatos ὀφθαλμόσοφοις. — Praeterea *Hippocrates* [7]) malas iam habet κόρας σμικρότερας cum glaucomate, quae in glaucomate ſenili frequentiores ſunt: idem [8]) ex pupula ſaepius mota exſpectandam praecipit inſaniam, quod vitium nobis ἵππος vocatur. — Pupulam imminutam κόρη μικρὰ ſ. μύωσις, *Cous* [9]) etiam nyctalopis propriam habet, quod vitium *Galeno* φθίσις τῆς ὄψεως nominatur, et ſenibus peculiare eſſe dicitur. [10]) Bene vero diſtinguenda eſt atrophia a phthiſi oculi, iuxta priſcorum praecepta. Phthiſis oculi enim vitium eſt, ex quo pupula anguſtior, obſcurior rugoſiorque redditur: imminutus vero oculus aut macer, atrophia laborans, totus contabeſcit, ut ſupra vidimus, et viſum impedit. *Hippocrates* [11]) etiam obſervavit, ex inundato ſanguine pupulam, rotundam formam perdere et viſus aciem hebeſcere et tanquam ante oculos quid obverſari. — Quin iridem virideſcentem ex ictu in abdomen deſcribit

7) Praedict. II. 180. b. ed. Ald.

8) Progn. II. 3.

9) De morb. vulg. VI. p. 288.

10) De uſu part. X. 5. p. 358.

11) De loc. in hom. IV. 6. p. 147.

Hippocrates (χολώδεις κόραι f. ὀφθαλμοὶ χολώδεις; [12]) quae in ipſo ictero ex eadem bilis redundatione recentibus temporibus obſervatae ſunt.

Ex corneae ulceribus et vulneribus penetrantibus internae quoque partes adfici et ut excidant, invitari, ſupra iam vidimus. Id vero etiam optime comperti *Hippocrates*, [13]) unde praecipit, oculum intueri an ruptus ſit, anque ex rima propendeat iris, quae aegre reprimatur et oculum inutilem reddat. Quibus enim talia ulcera et iris prolapſa ſit, ii nunquam, neque ex tempore, neque ex arte viſum recuperare poſſunt. Parvae tamen iridis transmotiones (μετακινήματα) ſedari poſſunt, ſi nihil aliud mali acceſſerit et corpus vegetum ſit et iuvenile. — *Celſus* filet de iride prolapſa, omnino tamen *Galenus* [14]) bene obſervat, nonnunquam tunicam corneam ex ophthalmia habere ulcera profunda, ex quibus uvea procidat et ex quibus ipſa pupula propellatur. Id vero non ſatis; *Galenus* alio loco [15]) melius iam pupulae vitia enumerat, et quidem quatuor dignoſcit: poteſt enim eſſe nimis larga, nimis anguſta, e ſede mutata et tortuoſa. Largitas vero aut naturalis, aut accidentalis, v. c. ex tunica extenſa, qua obtegi-

12) De morb. vulg. VI. p. 154. ed. Ald. — Forſan ad hos oculos, pertinent oculi herbei apud Plaut. Curcul. II. 1. 16.

13) Praedict. II. 12. p. 134.

14) De different. morb. Tom. II. p. 11. c. 13.

15) De oculo c. 3. p. 373.

tur et ex uveae vitio, aut humoris albuginei mole. Anguſta autem evadit pupula, aut ex caſu, aut ex natura, v. c. ob nimiam mollitiem. Pupula ampla ſemper mala eſt, quia ſpiritum ſpargit; anguſta vero, melior, ſpiritum enim conſtringit: ubi autem ex vitio anguſtatur, moleſta fit. Mutari denique poteſt pupula e loco, ob membranas cum ipſa contiguas, tumidas, vulneratas et condenſatas.

26. *Mydriaſis.*

Celſo [16]) teſte, in illo vitio Graecis μυδρίασις dicto, pupilla effunditur et dilatatur aciesque eius hebeſcit: id vero genus imbecillitatis difficillime eliditur. Eadem conveniunt fere ut in caligine oculorum, paucis mutatis, ſiquidem ad caput irino interdum acetum, interdum nitrum adiiciendum eſt. Quidam etiam calidis aquis uſi relevatique; quidam ſine ulla manifeſta cauſa ſubito obcaecati ſunt, ex quibus nonnulli cum aliquamdiu nihil vidiſſent, repentina alvi profuſione lumen receperunt. Quo minus alienum videtur, ex recenti re et interpoſito tempore medicamentis quoque moliri deiectiones, quae omnem noxiam materiam in inferiora depellant.

VII. Humorum oculi internorum vitia.

Spatium inter corneam et humorem cryſtallinum *Galenus* [17]) humoribus et ſpiritu repletum ſibi

16) VI. 6. p. 577.
17) De uſu part. X. 5.

ſibi fingit. Alio loco [18]) vitia viſibilis ſpiritus, ut ibi barbara voce exſtat, conſiſtunt in qualitate et quantitate: τὸ quale lapſum eſt, ubi ſpiritus nimis ſubtilis eſt, unde bene discernit ac res optime comprehendit; vel craſſus eſt, unde ad remota penetrat loca et longinqua videt; vel paucus ad remota non tendere, ſed ſolum propinqua cernere valet.

Oculorum morbos, qui iam ſequuntur, *Ariſtoteles* τῆς ὄψεως ἀῤῥωστήματα, *Celſus* oculorum imbecillitates, *Galenus* autem, internos et ſubditos intellectu dignoſcendos, egregie vocant, ut ſupra iam monuimus.

27. *Prolapſus.*

Prima veſtigia iam in *Hippocraticis* obſervo. Oculum ex inflammatione ruptum ſaepe memorat et hoc loco [19]) tanquam vulgarem caſum indicat, ex rupto oculo, humorem glutinoſum (ὑγρὸν κολλώδες) quamdiu calidus, liquidum, frigidus vero, ſiccum prolapſum eſſe, thuri pellucido (λιβανωτὸς διαφανὴς) ſimillimum. Idque non ſolum in homine, ſed quoque in quadrupedum oculis vidiſſe adſeverat. — Denique humores ex oculo elapſos, viſum poſt vigeſimum etiam annum reſtituiſſe, obſervavit *Plinius.* [20]) —

18) De oculo, c. 5. p. 373.
19) De carnib. S. III. 6. p. 249.
20) H. N. XI. 54.

28. *Hypochyma* ſ. *Hypochyſis.*

Dubium oculorum vitium conſtituunt τὰ ὑποχύματα aut ὑπόχυσις *Galeni*, ex qua ſuffuſio ficta eſt, quae apud *Celſum* aliud vitium, verum glaucoma, denotat. Τὰ ὑποχύματα *Galeno* auctore,[21]) interiacere dicuntur inter humorem cryſtallinum et corneam tunicam et ita viſum turbare. Monet etiam alibi [22]) de his: ὑποκεχύσθαι δὲ λέγουσιν ὅταν συμβῇ παρέγχυσιν ὑγροῦ τινὸς γενέσθαι κατὰ τὴν κόρην, καὶ πῆξιν πολλάκις, ὡς κολύσαι τὸ ὁρᾶν εἰ καὶ ἀμαυροῦσθαι ἐν τῷ φαίνειν. Similiter rem illuſtrat *Paulus*,[23]) dum perhibet: glaucoma et hypochyma antiquos unum eundemque habuiſſe morbum, recentiores vero ſuffuſionem partium inter corneam et humorem cryſtallinum morbum putare. Ita quoque mediae aetatis noſtrae medici bene ſuffuſionis ſedem circa ipſam pupulam: glaucomatos vero in lente cryſtallina vitiata conſtituunt ſecundum prima artis praecepta. — *Galenus* [24]) ipſis admonet verbis de hypochyſi, inter uveam et humorem cryſtallinum, aquae coagulum, viſibilem ſpiritum a pupula exeuntem, arcere et illi vitio antecedere, res volitantes ante oculos, et pedetentim colorem mutari: Colorem enim modo aëri ſimilem, alias album aut virideſcentem, aut quaſi

21) De uſu part. X. 1. p. 354.
22) Introduct. p. 404.
23) III. 22. p. 35.
24) l. l. c. 12.

venetum, esse unde veteres oculos tales, veneticos nominabant. Oritur autem hoc vitium, aut ex ventriculo, [25]) aut ex cerebro, quod bene dignosci debet: ubi uterque oculus aequo modo adfectus est, tunc e ventriculo egressum est vitium, praecedunt pyrosis et borborygmi; ubi autem alter modo adfectus, tunc ex cerebro orta est hypochysis et phrenesin persequitur.

Proxime huc spectant et sine dubio sub illo vitio latent, *humoris vitrei vitia.* Ille autem humor, [26]) quoad τὸ quale et τὸ quantum laborare potest; quantitas adfecta et aucta visum obscurat et minuit et crystallinum humorem circumcirca transit: si parum crassior fuerit, longinqua videre non sinit, propinqua tamen bene discernit: ubi vero omnino crassissimus, tunc visum occupat et supprimit et hypochysis dicitur, quae vel in parte una, vel in multis locis dispersa est, in uvea, vel in media pupula aut circa illam. Ubi in plures partes disrupta est, tunc muscas et talia cernit, si circa pupulam est, tunc ob constrictam pupulam, vix quid potest cernere. Color plumbeus, fumosum et tenebricosum efficit visum. Disponunt vero eorum oculi ad hypochysin, ex quorum stomacho fumus ad caput adscendit et rheuma ex naribus fluit.

25) *Plinius* XI. 55, et *Galenus* m. l. venas ab oculis ad stomachum accipiunt, nulli enim sine redundatione eruitur. Nervorum vim ergo commutant.

26) De oculo, c. 2. p. 373.

Equidem igitur τὰ ὑποχύματα, aut pro humore aqueo turbido, aut tunica illum involvente inflammata, aut pro humore vitreo ſoluto et per cameras oculi anteriores diſſipato (quod vitium rarum nobis ſynchyſis vocatur), habere mallem. Id enim vitium, hominum oculos rarius infeſtans, frequentiſſimum eſt, me quidem obſervante, in equorum oculis, ex quibus veteres medici, in bovino, aut equino oculo inquirendo peritiores, bene hypochyſin a glaucomate diſtinxerunt. *Galenus* certe utrumque claris dignoſcit verbis, dum hypochyſeos ſedem, non in lente cryſtallina, ſed in humore illum poſtica parte involvente, quaerit, et colorem fumoſum, aut qualem nubes habere ſolent, hypochyſi adnumerat. Eiusmodi caecitas ex humore vitreo adfecto plerumque ab initio per annum fere cum lunae curſu menſtruo abit et redit, donec partibus ipſis corruptis lenteque cryſtallina ſimul adfecta, viſus totus aboleatur. — Alioquin autem ſaepe hypochyſis promiſcue ſumta eſt pro ipſo glaucomate, praeſertim ab auctore illo, cui tractatus de oculo adſcribitur. Paſſim etiam pupula membranula albida obturata et ex iritide reſidua, occluſa hypochyſin conſtituit.

29. *Glaucoma.*

Hoc quoque oculorum graviſſimum vitium, viſus turbam haud infrequentem, recentiorum autem ὀφθαλμοσόφων eximium triumphum, vetuſtiſſimis accidiſſe ac notum fuiſſe hominibus, pro

certo et explorato habere poſſumus. Diu vero cauſa mali latuit, ob mancam de interioris natura oculi cognitionem, tamen vero hoc vitium non ita occultum et oculis obſervantibus et intuentibus detractum voluit Natura, vitii praeſentiam ex viſu hebeſcente et ex mutato colore per pupulam perſpicue offerens. Matura itaque etiam in veterum monumentis exſtant teſtimonia, quae quamvis dubio omni plane non libera, tamen proxime ad hoc vitium accedere videntur.

Huic autem vitio varia apud veteres ſunt nomina, quorum origo et ipſa vis haud levioribus implicita eſt dubiis. Omnino itaque pretium duco, in haec nomina exſpatiari et litem, quantum quidem noſtri valeant humeri, a plurimis factam, componere et ventilare. Quae autem dubia potiſſimum ſe vertunt circa voces: γλαύκωμα, γλαύκωσις ſ. γλαυκώτης, [27]) ὑπόχυσις et ſuffuſio, de quibus iam verba facienda ſunt.

Prima veſtigia in ipſis iterum indagavi *Hippocraticis*, et verba: [28]) αἱ δὲ κόραι γλαυκούμεναι, αἱ ἀργυροειδεῖς γιγόμεναι, ἢ κυάνεαι, οὐδὲν χρηστὸν, ad nullum aliud vitium adhibere mallem, ac ad noſtram *Celſo* ſic dictam ſuffuſionem: ille color enim glaucomati duro; hic caſeoſo proprius, illas formas ergo etiam inſignit. Huc quoque perti-

27) Porphyr. Inſtit. c. 3. p. 7. in Ariſtot. op. Tom. I. ed. Gaza. Ariſt. gen. anim. V. 1. p. 1329.

28) Praedict. II. 12. p. 134.

nent oculi ἔνδοθεν ῥυτιδώμενοι, qui peſſimi ab *Hippocrate* [29]) vocantur, et me iudice ad glaucoma aridum filiquoſum a cl. *Schmidtio* deſcriptum, referendi ſunt: et obſervatio: [30]) ſi nares et oculi ſicci, et obſcuri, aut cum reliquo corpore pallidi (χλωροὶ) fiunt, ex fluxu per poſteriores partes delapſo, ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν γίνεται ἀμβλυώσσειν, etiam viſum ex glaucomate exſtinctum exprimit.

Veteres autem multi ſunt, ut iam ſupra vidimus, in dignoſcendis oculorum coloribus, et *Ariſtoteles* [31]) deſudat in illis explicandis et illuſtrandis. Primum igitur explananda eſt eius opinio de γλαυκοφθάλμοις et μελανοφθάλμοις. Oculi caeſii plus ignis, nigri vero plus aquae habent, illi itaque interdiu acute ſaepe cernere non poſſunt, hi vero noctu: caeſii magis moventur a luce ob humoris exiguam copiam, nigri vero ob humoris copiam minus mobiles ſunt, quod quaedam oculorum imbecillitates (ita *Celſus*) ſ. aegritudines internae (ἀῤῥωστήματα) etiam comprobant: τὸ μὲν γλαύκωμα γίνεται μᾶλλον τοῖς γλαύκοις· οἱ δὲ νυκταλώπεκες τοῖς μελανοφθάλμοις. ἐστὶ δὲ τὸ μὲν γλαύκωμα, ξηρότης μᾶλλον τῶν ὀμμάτων, διὸ καὶ συμβαίνει μᾶλλον γηράσκουσι. Ξηραίνεται γὰρ ὥσπερ καὶ τὸ ἄλλο σῶμα καὶ ταῦτα τὰ μόρια πρὸς τὸ γῆρας. ὁ δὲ νυκταλώπηξ, ὑγρότητος πλεονασμὸς· διὸ τοῖς

29) Morb. vulg. VI. p. 257. ed. F.
30) De loc. in hom. S. IV. c. 5. p. 145. ed. M.
31) Generat. anim. V. 1. p. 1332 ſq.

νεωτέροις γίνεται μᾶλλον· ὑγρότερος γὰρ ὁ ἐγκέφαλος τουτῶν. — Similiter glaucomatis naturam diiudicat etiam *Galenus*: [32]) γλαύκωσις ξηρότης ἐστὶ, καὶ τῆξις ἄμετρος τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ; et Iſagog. Galen. auctor: γλαύκωσις τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ εἰς λευκὸν, καὶ ὑδατώδη χροιᾶς μεταβολὴ, δι' ἧς τὸ βλέπειν κωλύεται.

In illo igitur Stagiritae noſtri loco claſſico, primam glaucomatis ſenilis et amauroſeos notitiam inveniendam eſſe, perſuaſus ſum, cuius tamen cauſam et naturam minus apte poſitam cenſeo. — Illa aetate, in qua, *Celſo* [33]) monente, ob bonos mores, neque deſidia, neque luxuria vitam vitiabant, — vitae longaevae exempla etiam frequentiora erant quam noſtris diebus, minime autem ſine ſenectae ſolitis ſequelis, ad quas praeprimis glaucomatis illa ſpecies a ſenectute dicta pertinet, quae etiam magis vulgare, erat vitium. Apte itaque auctor ſacer enarrat: [34]) erat Moſes natus 120 annos, quum moreretur, nec defecerat viſus eius: ex quo loco colligo, glaucoma ſenile frequentiſſimam eo tempore fuiſſe ſenectutis ſequelam, quam deficientem in Moſis oculis auctor miratur. — Huc quoque *Timoleontis* trahendam eſſe caecitatem, perhibeo, de qua *Nepos*: [35]) „Timoleon cum

32) De uſu part. X. 6.
33) I. 1. 2.
34) Deuteron. 34. 7.
35) Corn. Nep. Vit. XX. 4, 1.

aetate iam provectus eſſet, ſine ullo morbo lumina oculorum amiſit, quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit!“ — Quin forſan etiam ipſe *Homerus* eodem oculorum vitio demum captus laborabat; caecitatem adnatam enim non ſolum nego, ſed plane irrideo.

Caecitatis adnatae exempla apud *Hippocratem* [36]) et *Ariſtotelem* [37]) huc trahenda eſſe, ſine cunctatione perſuaſus ſum; et philoſophus ſimul indicat, tales infantes nunquam calvos fieri, caecos etiam prudentiores eſſe tardis et mutis; [38]) et caecos ex caecis, claudos ex claudis ſaepius gigni. [39]) Ecce, prima glaucomatis *adgeniti* et *hereditarii* veſtigia! — Qui caeterum ſolatia de lumine oculorum amiſſo ſcire et *Timoleontis* exemplo addictus, illum perſequi cupiat, neque ex medicorum armamentariis auxilium exſpectare poſſit, philoſophorum tabernas adeat, eorum opiniones et argumenta diſcat, quae Stoicus apud *Ciceronem* [40]) enarrat et quorum exempla plura ibi laudantur.

Poſteris dein temporibus, quae certius non ſunt definienda, ſine dubio tamen cum ſcholae praeceptis, γλαυκώματος aptiſſimum nomen cum

36) De ſeptimeſtr. foet. S. III. 3. p. 256.

37) Probl. 32. p. 1021.

38) De ſenſ. et ſenſ. c. 1. p. 1395. — c. 2. p. 1429. Categor. p. 41.

39) Hiſt. anim. VI. 6. p. 1003.

40) Tuſc. Quaeſt. V. 38. §. 112.

ὑποχύσεως voce et vitio commutabatur, et ipſe *Celſus* ne glaucoma quidem memorat, ſed unice de ſuffuſione verba facit. Equidem autem in antecedentibus utrumque vitium, γλαύκωμα et ὑπόχυσιν *Hippocratis* et *Ariſtotelis*, iuxta *Galeni* auctoritatem diſpeſcui.

Ὑπόχυσις ergo ſ. ſuffuſio, *Celſo* primo teſte, contra *Galeni* praecepta, idem vitium conſtituit, quod ab *Ariſtotele* γλαύκωμα vocatur: de glaucomate autem ſilet. *Rufus* etiam, ut ex *Oribaſio* [41]) et *Paulo* [42]) video, glaucoma et ſuffuſionem pro uno eodemque vitio declarat. *Plinius* vero, qui ante *Rufum* vixit, variis locis [43]) utrumque vitium dignoſcit et alia auxilia ad glaucoma, alia ad ſuffuſionis laudat.

Γλαύκωμα γίνεται μᾶλλον τοῖς γλαυκοῖς: haec *Ariſtotelis* verba optime τοῦ γλαυκώματος declarant originem. Dictum igitur eſt a glauco colore ſ. caeſio, qui in oculis hoc vitio captis, per pupulam magis conſpicuus fit. Omnino autem ſingulare videtur, quod variis huius vitii nominibus, ſimul quoque variae volucres inſigniantur. Γλαῦξ enim noctuae ſpecies oculis caeſiis apud *Ariſtotelem*, [44]) ſine dubio glauco colori et hic glaucomati nomen impertiit: cataracta autem avis marina eſt, ſecun-

41) Synopſ. med. VIII. 47.
42) De medic. III. 22.
43) H. N. 29. 6. — 24. 15. — 26. 13. — 28. 8. etc.
44) Hiſt. anim. VIII. 3. — IX. 34. et alibi.

dum *Ariſtotelem* [45]) et *Plinium*, [46]) a volatu rapidiſſimo in maris undas dicta, et vernacula denominatio, Staar, nihilofecius etiam notam avem appellat, noſtrae tamen linguae nomen, minime ex cataractae perverſa interpretatione translatum accipiendum eſt. Quod igitur quum dubium, nec derivatio et cauſa nominis nota ſit, en! cur de noſtrae linguae denominatione retineam ſingularem hypotheſin, quae ut credam me impellit, noſtrae vernaculae huius vitii vocis ineptae, originem in ipſa *Tobiae* ex paralampſi caecitate et de ea ſuperſtitione ſitam eſſe et hanc ad illam anſam praebuiſſe. *Tobias* [47]) ſcilicet defatigatus ex quopiam itinere, domi redux, iuxta domicilii parietem decumbit et dormit, inter ſomnum vero avis domeſtica ſtercus fervidum demittit in eius oculos, ex quo obcaecatus eſt. — Atavi noſtri in libris ſacris legendis (unici enim erant), aequalibus diligentiores, *Tobiae* caecitatem ſine dubio intellexerunt, et vitium, quod illis quoque temporibus oculos infeſtare ſolebat, nondum denominatum, novo nomine ab ave illa ſumto, ex qua Tobias caecus ſe profitetur, forſan ex mala interpretatione in noſtram linguam, inſigniverunt et ſimilem morbi cauſam adhibuerunt. Avem illam quidem, certius definire non audeo; erat autem ſecundum LXX. idio-

45) Ibid. IX. 12. p. 1054.
46) H. N. X. 44.
47) Tobiae 2. 10.

ma graecum [48]) ſine dubio, avis domeſtica, quibusdam auctoribus paſſer, aliis hirundo, aliis columba: nec vero ſturnus ipſe, per quasdam Germaniae regiones, ab avibus domeſticis alienus eſt, qui ſub tectis intra loculamenta columbarum in modum et intra arbores cavas nidum conſtruit. — Quam vero opinionem, *Bartiſchii* [49]) teſtimonio confirmandam duco, qui perhibet: „Etliche vermeinen, man bekomme dieſen Mangel von dem Vogel, den man Staar nennt, wen man denſelben viel eſſe oder aus einem Waſſer trinke, da gemeldeter Vogel ausgetrunken oder innen gebadet habet!“ —

48) Docti inter ſe diſſentiunt, qua lingua confectus ſit liber apocryphus Tobiae fata enarrans. Plures tamen, inter quos *Eichhornium* laudo, idioma graecum genuinum conſtituunt, quod verſio ſyriaca accurate ſequitur. Certius itaque definiri non poteſt, num textus graecus aut ſyriacus primarius ſit. *Origenes* graecum ſolummodo noſcit oſtenditque Iudaeos eo tempore, ſyro-chaldaicum haud habuiſſe. Auctores LXX vero, ubique de στρουθίῳ loquuntur, quod verbum pro nomine generale, nec pro paſſere, ut *Tremellius*, nec pro hirundine, ut *Lutherus* aliique, nec pro columba, ut *Bochartus* (Hieroz. II. 1. c. 8.), accipere poſſum. Auctores LXX igitur ſequuturus, στρούθιον, pro qualibet ave domeſtica, quae in deliciis eſt aut luſus cauſa habetur, intelligere malui, quam ſpeciem ipſam, per ſe dubiam definire. Hirundo caeterum Iudaeis avis impura fuit.

49) Augendienſt 1686. p. 318.

Quae autem ſuperſtitioſa huius nominis derivatio et irridenda! —

Quod ad ὑποχύσεως nomen, unde derivandum ſit, attinet, omnino ancipites haerere poſſumus. Equidem autem rem ſic mihi fingo et cataractae recentius nomen ex ipſa ὑποχύσεως nomine derivatum duco. Ὑπόχυσις originem trahit ἀπὸ τοῦ ὑποχύειν περὶ καὶ κατὰ τὴν κόρην, ſ. ab affundendo et ſuffundendo, unde ſuffuſio Romanorum, quoniam humores oculi tanquam effuſi pupulam clauderent et lucis transitum prohiberent. Similis ergo καταράκτου vox eſt, aut ex proruentis humoris, aut ex portarum, quae in oppidis et caſtris ſuperne deorſum cadunt et transitum obſtruunt, ſimilitudine, recentioribus iam temporibus compoſita, quibus opinabantur, in oculo hoc vitio capto ubique humorem cryſtallinum procidere et pupulam obicis, aut καταβλήματος modo occludere, et exinde eiusmodi caecitatem derivabant. Proprie enim καταράκτης vortex eſt rapidiſſimus, [50]) aut caſtello ſignificat loca petroſa, per quae aquae cum impetu decidunt, unde etiam torrentes cum magna aquarum ſtrepitu ex alto proruentium ita vocantur. — Quorſum vero iſta! — quantum abhorrent haec omnia ab oculi natura blanda et molli, a ſtrepitu omni, toto coelo diverſa! — Equidem igitur, noſtrum lentis cryſtallinae vitium, ſecundum prima artis fundamenta,

50) Curt. R. geſt. IX. 4.

glaucoma dictum, tueri et vetuſtiorem vocem mallem retinere, quam novatam eligere: quaerere tamen, ut olim ſimili occaſione *Aeſchines* apud *Tullium*, [51]) an cataractae verbum, portentum ſit, quo hoc oculorum vitium vulgo inſigniri ſolet? — Omnes enim ſcientiae illis denominationibus principatum adnumerant, quibus apte et circumſcripte, vis et alia quaevis indoles propria ineſt et cum illa ſimul exprimitur. Noſtra vero praecepta ophthalmologica glaucomatis vocabulum aptiſſimum et praeſtantiſſimum excludunt et ad aliud diverſum a nominis primaria ſignificatione transferunt et quaſi abutuntur. Quomodo enim γλαυκώματος origo a caeſio colore cum corporis vitrei vitio illo, ex quo fundus oculi niger, virideſcere videtur, congruit? — niſi glauci coloris recentiorem iam ſignificationem ſequuturi, pro virideſcente habeamus, qualis aquarum campus rerum adſtantium reddit effigies. Cous noſter ubique τὰς κόρας γλαυκὰς; ψευδο-ἱπποκράτης vero, omnino τὰς κόρας θαλασσοειδεῖς [52]) memorat, ex quibus vero ipſis verbis praeter alia argumenta, iam perhibeo, illum tractatum περὶ ὄψιος, minime Coo, ſed ſeriori auctori Hippocratico adſcribendum eſſe, qui glauci coloris vim iam ad illam transtulit, qua virideſcens color apud poſteros auctores, ut notum eſt, inſignitur. Illam igitur noſtrae aetatis primarii ὀφθαλ-

51) Orat. III. p. 466. ed. Manut.

52) Hippocr. περὶ ὄψιος, p. 224. ed. Ald.

μόσοφοι teneant apprime glaucomatis vim, teneant Coi et Stagiritae graviſſimam auctoritatem et perpendant perverſas ὑποχύσεως ſ. ſuffuſionis et cataractae notiones, ex theoriae perverſis commentis exortas: primis artis ſtatoribus iura praebeant digna et neceſſaria, et glaucomatis ſignificatio, oblivioni iam tradita, redeat in uſum et recentem memoriam, ne mediae aetatis medicorum ſomniis addicti, verbo inepto vitium inſigniamus, cuius natura melius nunc liquet et a nominibus inde fictis, diverſiſſima eſt! —

Hactenus de variis nominibus: iam e diverticulo ad rem ipſam et ad medica glaucomatis praecepta redeamus. Eius hiſtoriam vero illuſtrant auctor περὶ ὄψιος Hippocraticus, *Celſus* et *Galenus*, qui proinde nos ducant.

Omnes oculorum vitiis medendi methodos ex ſtabilitis theoriae commentis exortas eſſe et cum illis ad unguem congruere, ſupra iam monuimus. Et ſic quoque primus glaucoma manu curandi modus fortis, legibus ad verbum obedit. Indicatio eius ſcilicet quaerenda eſt in illis verbis: [53]) ὅταν δὲ ὄπισθεν ῥέῃ ξηρὰ τὰ ἔμπροσθεν ἦ, ἡ κεφαλὴ καὶ αἱ ῥῖνες καὶ οἱ ὀφθαλμοί. καὶ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν γίνεται ἀμβλυώσσειν καὶ χλωροὶ γίνονται καὶ τὸ ἄλλο σῶμα. Ut igitur fluxus in ſolitam et iuſtam redeat viam, τὴν καθάρσιν καὶ καῦσιν τῆς κε-

53) De loc. in hom. IV. c. 5. p. 145.

φαλῆς commendant: [54]) quod opus dirum fere ita inſtituitur: Oculi captus, cruribus extenſis, religatus ſellam inſidat. Signare dein oportet dorſales venas et illas legere a tergo; dein urere craſſis ferramentis, ſenſimque calefacere, ut inter uſtionem ſanguis coërceatur. Ubi caput ad os usque uſtum eſt, ſpongia imponenda; cruſtis vero arum impoſitum convenit, quae tandem toſtae decidunt. — Totum hoc caput *Hippocrate* indignum neglexit iam *Cornarus*, et ipſe perſuaſum habeo, vix talem curam ab ipſo Coo factam, ſed ſeriori iam tempore ex eius praeceptis exortam eſſe.

Celſus melioris manu curandi methodi prima offert initia, quae ad hunc usque diem, magis exculta, adhuc floret. Satis apte etiam indicat, [55]) ſuffuſionem nonnunquam inter initia discutiendam: inveteratam autem ſemper manu curandam eſſe. — Si humor [56]) ſub duabus tunicis, illo loco qui vacuus eſt, paullatim indureſcit, vel ex morbo vel ex ictu et interiori potentiae per quam cernimus ſe opponit, tunc oculus ſuffuſione laborat. Huius vitii autem plures ſunt ſpecies, quaedam ſanabiles, quaedam curationem plane non ad-

54) De viſu, c. I. 1.

55) VI. 6. p. 576.

56) VII. 7. p. 635. — Galenus et Paulus glaucoma ex immoderato vomitu etiam exoriri, bene iam obſervant, l. l. et Eraſiſtratus medicus apud Athen. (Deipn. XV. 1. p. 666. ed. Caſaub.) quolibet vomitu oculi laedi, perhibet.

mittunt. Si exigua ſuffuſio eſt, ſi immobilis, colorem habet marinae aquae vel ferri nitentis (glauc. membranaceum), et a latere ſenſum aliquem fulgoris relinquit, ſpes ſupereſt. Inter initia nonnunquam etiam discutitur, ſanguinem ex fronte vel naribus mittendo: in temporibus venas adurendo, ſuffumigando et oculos acribus medicamentis inungendo. Victus optimus, qui pituitam extenuat. — Si vero magna eſt, ſi nigra pars oculi amiſſa naturali figura, in aliam vertit, ſi ſuffuſioni color coeruleus eſt, aut auro ſimilis (gl. durum) ſi labat (gl. labans), et hac vel illuc movetur (gl. tremulum), vix unquam ſuccurritur. Peior hac eſt, quae ex graviori morbo, maioribus capitis doloribus, vel ex ictu vehementiori orta eſt. Neque idonea curatio eſt, in ſenili aetate, quae ſine novo vitio tamen aciem hebetem habet: at ne puerilis quidem, ſed inter haec media aetas. Oculus quoque curationi neque exiguus, neque concavus ſatis opportunus eſt, atque ipſius ſuffuſionis quaerenda maturitas eſt. Exſpectandum igitur eſt, donec iam non fluere, ſed durities quaedam concreviſſe videatur. Ante curationem autem modico cibo uti, bibere aquam triduo debet, pridie ab omnibus abstinere. Poſt haec in adverſo ſedili collocandus eſt loco lucido, lumine adverſo, ſic ut contra medicus paulo altius ſedeat. A poſteriore autem parte caput eius, qui curabitur, miniſter contineat et immobile id praeſtet. Nam levi motu eripi acies in perpetuum poteſt. Quin

etiam

etiam ipſe oculus qui curabitur, immobilior faciendus eſt, ſuper alterum lana impoſita et deligata. Curari vero ſiniſter oculus dextra manu, dexter ſiniſtra debet. Tum acus admovenda eſt, aut acuta, aut forte non nimium tenuis eaque demittenda. Sed recta eſt per ſummas duas tunicas medio loco inter nigrum oculi et angulum tempori propiorem e regione mediae ſuffuſionis, ſic ne qua vena laedatur. Neque tamen timide demittenda eſt, quia inani loco excipitur. Ad quem cum ventum eſt, ne mediocriter quidem peritus falli poteſt, quia prementi nihil renititur. Ubi vero eo ventum eſt, leviter inclinanda eſt acus ad ipſam ſuffuſionem: leviterque ibi verti et paulatim eam deducere infra regionem pupillae debet: ubi deinde eam transit, vehementius imprimi ut inferiori parti inſidat. Si haeſit, cura expleta eſt. Si ſubinde redit, eadem acu magis concidenda et in plures partes diſſipanda eſt, quae ſingulae et facilius conduntur et minus late officiunt. Poſt haec educenda acus recta eſt, imponendumque, lana molli exceptum ovi album et ſupra, quod inflammationem coërceat atque ita devinciendum. Poſt haec opus eſt quiete, abstinentia, lenium medicamentorum inunctionibus, cibo, qui poſtero die ſatis mature datur, primum liquido, ne maxillae laborent, deinde inflammatione finita, tali, qualis in vulneribus poſita eſt. Quibus ut aqua quóque diutius bibatur, neceſſario accedit.

Illa ergo a' *Celso* ſumma *ἀκριβείᾳ* et eximia dexteritate exhibita methodus, priſcis oculi *paracenteſis* vocata, prima veſtigia, methodi noſtris quoque diebus laudatae, glaucomati medendi acus depreſſione, declarat; de qua *Celſus* omnia praecepta et cautelas quoque ita propoſuit, ut vix, niſi ad ſubtiliſſima confugiamus, quid ulterius ſit deſiderandum. Quibus autem graviſſimis priſcorum meritis et aliud addo, quod pro recentioris temporis habitum eſt inventione, pupulam nempe ingeſto plantarum efficacium ſucco, dilatandi. Ipſis enim verbis *Plinius* anagallidis vim in dilatanda pupula dum laudat, monet quoque, eius ſuccum antea ſinungi, quibus paracenteſis inſtituatur. — *Paulus* [57]) dum eandem plane curationem ac *Celſus* repetit, illam etiam addit obſervationem, glaucoma nempe ex iride dilatata attentius indagari poſſe. Inquit: oculus ſuffuſione tentatus; ſi concluditur et palpebra digito ad oculum premitur eique adducitur, ſimul vero hac illac exprimitur, tunc in oculo poſt haec aperto et attentius adſpecto, ſuffuſionem clarius conſpicimus.

Aliter quodammodo, ſed minus convenienter *Galenus* [58]) γλαύκωσιν ſuam interpretatur; illam vero pro concretione immodica et ſiccitate humoris cryſtallini habet, et caecitatem prae reliquis morbis, oculis inferre, adſeverat. Praecipit ergo, omni

57) De Med. VI. 21.

58) De uſu part. X. 1—6.

modo, illam partem irrigare, ut mollior fiat. Indicat etiam, quamvis brevibus, opus, quo manu curatur vitium, et admonet, ut acus per ampliſſimum ſpatium ſurſum ac deorſum, huc atque illuc et in orbem et quoque verſum circumagatur, ita tamen, ne partes vicinae laedantur: et ipſis verbis iam perhibet, ſuffuſiones acu deprimendas eſſe.

Tandem vero memini auctorum, qui extractionis glaucomatis originem et primam inventionem in *Plinii* [59]) loco quaeſiverint, ubi exſtat: capram oculos ſuffuſos iunci punctu ſanguine exoneraſſe. Illi boni autem errant, dum oculi ſuffuſi hoc et pluribus aliis locis, non pro ſuffuſione humorum oculi internorum, ſed pro ſanguine ſuffuſis oculis ſumendi ſint. Id patet iam ex verbo: ſanguine, aliisque locis, ubi oculi ſanguine ſuffuſi ab ipſo *Plinio* [60]) citantur. Erat caeterum Iuncus ille, ſine dubio, Iuncus acutus L. Nihilofecius tamen glaucomati per extractionis opus curandi modi prima veſtigia, neque ex *Davielis*, neque ex *Goskyi* dexteritate petere, ſed ab ipſa natura, aut caſu inſtituti, in *Plinii* loco illo [61]) quaerere mallem, qui ſaepe, ſed in homine ſolummodo obſervavit, coecos emiſſis humoribus, coecitate poſt vigeſimum quoque annum, liberatos eſſe.

---

59) H. N. VIII. 76. — Cf. Aelian. hiſt. anim. VII. 14.
60) H. N. 24. 4. — 28. 21. — 20. 51. — ſelle ſuffuſi 22. 47. — 32. 11.
61) H. N. XI. 55.

VIII. Retinae vitia.

Iſta vitia pro maxima parte aut veteribus ignota ſunt, aut male definita et explicata. A *Celſo* referuntur proxime ad oculorum imbecillitates et *Galeno*[62]) oculorum adfectiones occultae, intus natae audiuſſi. Hic tamen iam optime nervos adfectos pro cauſa horum vitiorum habet, et ut inquiratur iubet; an malum ex manifeſta cauſa, aut occulta prodierit; an caput gravedine, aut obtuſo circa frontem dolore laboret. Male tamen humores humidiſſimos ad nervum exundatos ſimul ad cauſas transfert: ſpiritus inſuper craſſitiem in explicanda huius vitii natura adhibet, praeſertim apud aetate provectiores et ſi oculus propinquas res minus bene poteſt percipere.

30. *Amauroſis.*

Quamvis huius nervi optici et retinae vitii natura priſcos latuerit, ob nervorum adfectorum vim ignotam et immutatam reliquarum oculi partium formam, tamen effectus, ex quo ſcilicet viſus aut hebeſcit, aut plane totus orbatur, oculi vitium declarare debuit. Cuius vitii ergo nomina plura, omnia viſum hebetem, aut vere exſtinctum inſigniunt; minime tamen ubique ab auctoribus certius definitum eſt, quaenam caecitas ſit, quae ſecundum varias cauſas, etiam varia eſſe poteſt. — Omnino autem μελανία, σκότος, ἀμαύρωσις,

62) De oculo, c. 13. p. 376.

ἀμβλυωπία, νυκταλωπία, μυδρίασις, oculorum *caligatio* et *imbecillitas*, *luſcitio* et *luſcioſitas*, ubique apud graecos et romanos ſcriptores medicos et de hiſtoria naturali curioſos, tunicae retinae et nervi optici vitium, ex quo viſus, aut hebes, aut plane exſtinctus eſt, inſigniunt, et raro tantum, ſi recentiores exceperis, illo ſenſu abutuntur. — Clariſſime etiam *Ariſtoteles* [63]) caecitatis ſolitas cauſas diſtinguit, dicens: λέγω δὲ τὰ τοιαῦτα παθήματα τῶν μορίων, οἷον γλαυκότητα ὀμμάτων καὶ μελανίαν, — in quo loco et glaucomatis et amauroſeos nomina ſatis liquide diſtincta ſunt et ex eius legibus interpretantur.

Amauroſeos cauſae variae apud veteres, tamen ad externas et internas reduci poſſunt. Ab *Hippocrate* [64]) nempe τὸ ἀμβλυώσσειν τῶν ὀφθαλμῶν a nimia pituita (φλέγμα) derivatur, ut leges eius poſcunt, dicit enim: ἀμβλυώσσουσι δὲ, ὅταν ἐς τὰ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι φλεβία ἐσέλθῃ φλέγμα· ὑδαρεστέρη γὰρ γίνεται ἡ ὄψις καὶ θολερωτέρη, καὶ τὸ λαμπρὸν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ οὐχ ὁμοίως, ἐὰν ἐθέλῃ ὁρᾶν, ὁμοίως ὡς καὶ ὅτε λαμπρὸς καὶ καθαρὸς ἦν. Haec Coi verba quidem ad quamlibet trahi poſſunt caecitatem, tamen omnino huc pertinent, quoniam tales oculi ob humorum copiam hebetes habebantur: *Hippocrate* itaque obſervante, luſcioſi

63) De gener. anim. V. 1. p. 1329.

64) De morb. vulg. II. S. 2. 1. p. 200.

plurimam urinam reddere dicuntur,[65]) quod forſan cum *Empedoclis* legibus cohaeret. — Minus commodam etiam habeo *Pauli* definitionem:[66]) ἀμαύρωσις ἐστὶν ὁ παντελὴς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ ὁρᾶν παρεμποδισμὸς, χορὶς φανεροῦ πάθους περὶ τῶν ὀφθαλμῶν. Ἀμβλυωπία δε ἀμαυρότης τοῦ ὁρᾶν ὑπό τινος ἀδήλου αἰτίας γινομένη. — *Celſi* mydriaſis etiam, de qua ſupra egimus, me quidem interprete, nil niſi amauroſis ex ſenſibilitate exaltata, huc pertinet, ſymptoma enim et vitium ipſum ſub illa latent.

Hippocrates[67]) amauroſin quoque obſervavit in virgine pulcherrima viginti annos nata, ex alapa ab amica ex ioco manus vola ſyncipiti iniecta, cuius viſus acies hinc exſtincta eſt (καί ποτε μὲν ἐσκοτώθη). Oculus permanſit hebes (καταπλὴξ) et adflicta diem ſubiit ſupremum. Iſta vero cauſa externa et alia mala efficere potuit, unde hunc locum dubium ad amauroſin transfero et ad glaucoma etiam aptum cenſeo: forſan autem cerebri ſtatus hydropicus amauroſin et mortem paravit. *Ariſtoteles*[68]) etiam hiſtoriam ſcitu digniſſimam,

65) De morb. vulg. IV. p. 228.

66) De Medic. III. 22.

67) De morb. vulg. V. p. 246. ed. F.

68) De ſenſ. et ſenſ. c. 2. p. 1432. — Similium fere verborum, alio tamen ſenſu dictorum, memini ex Matthaei lectione, ubi c. VI. 22. exſtat: ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός· ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται. ἐὰν δὲ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ ὅλον τὸ σῶμά σου σκοτεινὸν ἔσται. εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον;

illis autem temporibus vix accommodatam enarrat, quum ex nervis oculorum (certe non optici erant) ictis et telo percussis visus tenebras s. caecitatem derivat: ἤδη γάρ τισι πληγεῖσιν ἐν πολέμῳ παρὰ τὸν κρόταφον, οὕτως ὥστε ἐκτμηθῆναι τοὺς πόρους τοῦ ὄμματος, ἔδοξε γενέσθαι σκότος, ὥςπερ λύχνου ἀποσβεσθέντος, διὰ τὸ εἶον λαμπτῆρά τινα ἀποτμηθῆναι τὸ ἐμφανές, καὶ τὴν καλουμένην κόρην. — Idem [69]) cum capitis dolore, nausea, σκότους περὶ τῶν ὀμμάτων, utpote graviditatis indicium rarius observavit, qui forsan ad visum reticularem, aut amblyopiam amauroticam pertinent et nostris quoque temporibus passim observantur apud gravidas.

Cum μελανία *Aristotelis* autem νυκταλωπίᾳ cohaeret et apud veteres, aut symptoma eius, aut ipsum vitium significat: οἱ δὲ νυκταλώπεκες τοῖς μὲν μελανοφθάλμοις μᾶλλον γίνεται, [70]) ut idem iam praecipit: de qua vero seorsim.

31. *Nyctalopia.*

Νυκτάλωψ proprie is olim fuit, qui noctu melius, quam interdiu cerneret: a nocturno adspectu enim vox deducta est. Sic *Hippocrates* iam: [71]) οἱ δὲ τῆς νυκτὸς ἐρῶντες, οὓς δὴ νυκτάλωπας καλέομεν: Sic *Plinius:* [72]) quoniam noctu ae-

69) Hist. anim. VII. 5. p. 1000.
70) Gener. anim. V. 1. p. 1333.
71) Praedict. II. 16. p. 140.
72) H. N. XXVIII. 46.

que quoque cernant, luſcioſos vocant, qui Graecis νυκτάλωπαι vocantur; ſic *Feſtus*: luſcitio vitium oculorum, quod clarius veſperi quam meridie cernit: ſic *Theod. Priſcianus*: [73]) nyctalopes qui per noctem vident, et per diem obſcuritatem patiuntur. Ita quoque *Galenus* in iſagoge ſua, ubi tamen rurſus etiam teſtatur, nyctalopas dici, qui contra parum die, veſpere autem noctuque nihil adſpiciant; atque ita prorſus nyctalopas *Paulus* et *Celſus* et *Varro* apud *Nonium* [74]) fere acceperunt; hic enim: veſperi non videre, quos appellant luſcioſos, ſcribit. Primam anſam huius mutationis in *Ariſtotelis* loco quaere, ubi eſt: [75]) τὰ μὲν γλαυκὰ μὴ εἰσι ὀξυωπὰ τῆς ἡμέρας· τὸ δὲ μελανόμματα τῆς νυκτός: et cauſam indicat, quod ſcilicet lux nocturna exilior ſit, ſimul vero quivis humor per noctem difficilius moveatur. — In ſequentibus ergo bene diſtinguenda eſt νυκταλωπία *Hippocratis* et *Ariſtotelis*, et noſtra etiam de oculis adfectis praecepta, hemeralopiam dicunt, quae *Hippocrati* primum nyctalopia vocatur.

Hippocrates infantes et iuvenes luſcioſos ſua ſponte a morbo liberatos, quosdam inter 40 dies, alios vero poſt ſeptimum menſem, aut etiam poſt annum, obſervavit. [76]) Teneat vero, eo praeci-

73) I. c. 10.
74) II. 512.
75) Gener. anim. V. 1. p. 1333.
76) Praedict. II. 16. p. 140.

piente, in illa aegritudine medicus, epiſtaxes et abſceſſus criticos, qui tamen tali aetati rariores ſunt. Mulieres et virgines hoc vitio haud corripiuntur, ubi menſtrua iam adfuerint, in quo *Celſum* [77]) etiam habeo teſtem, dicentem: quod in femina, bene reſpondentibus menſtruis, non exſiſtere. Disponit nonnunquam etiam lacrymarum fluxus chronicus (ῥεύματα δακρύων πολυχρονία). — Iſtam oculorum imbecillitatem interdiu male cernentium, alioquin ex nimia ſenſilitate retinae effici et tandem in amauroſin veram transire notum eſt, in his tamen locis, amauroſis ex ſanguinis ebullitione deſcripta eſſe videtur. — Certo quodam tempore, poſt brúmam et ventos auſtrales, qui tuſſim et pneumonias frequentiſſimas effecerant, *Hippocrates* [78]) uno eodemque tempore plurimos νυκταλώπεκες, praeſertim iuvenes, obſervavit. Iſta vero oculorum adfectio minime ceſſit, ſed tanquam ex endemica, aut alia quapiam cauſa producta perſtitit. Iſti vero pueri (παιδία) fere omnes erant μεγαλόφθαλμοι, ἰθύτριχες καὶ οἱ πλεῖστοι μελανότριχες. Pupulae vero (τὰ μελάνα τῶν ὀμμάτων) variae (ὑποποίκιλα): quorumdam enim omnino parvae et contractae, aliae dilatatae: — quod teneant hodierni, ne ubique pupulam dilatatam in oculo amaurotico quaerant. Iſtam vero amauroſin, quamvis certius cauſas eius non poſſim interpretari, ta-

77) VI. 6. p. 369.
78) De morb. vulg. IV. p. 228.

men quodammodo utpote ex maſturbatione apud iuvenes peni deditos effectam conſidero, nec endemicam habeo, cuius hiſtoria apud auctores deeſt, niſi eam obſervationem huc trahendam exiſtimemus, per Chinae, Braſiliae Poloniaeque quasdam regiones caecitatem crepuſcularem tanquam endemicam ex nimia luce obvenire. — Alibi [79]) contra hoc vitium curam etiam commendat: epotet aeger medicamentum quodpiam deorſum purgans (ἐλατήριον), et ut caput purgetur, cervice quantum fieri poteſt, ſcarificata et per longum tempus preſſa. Quando vero malum remiſit, convenit uſus hepatis taurini cum melle ſubacti ad deglutiendum, doſi iam perfectiori, ſi fieri poteſt, unum aut duo.

Celſus [80]) varios amauroſeos gradus, aut ſub mydriaſi, de qua ſupra, aut ſub imbecillitate, aut denique ſub caligatione oculorum illuſtrat. Illo auctore enim imbecillitas oculorum eſt, ex qua quidem interdiu ſatis, noctu nihil cernunt, quod in feminam, bene reſpondentibus menſtruis, non cadit. Sed ſic laborantes inungi oportet ſanguine iecinoris, maxime hircini, ſi minus caprini, ubi id aſſum coquitur, excepto: atque edi quoque ipſum iecur debet. Utendum quoque eſt exercitationibus, balneo, frictionibus, et gargarizationibus. — Vapor quoque decocti iecinoris

79) De viſu, c. 7. p. 43.
80) VI. 6. p. 574 ſq.

apertis oculis hauſtus nyctalopas ſanat, iuxta *Plinium* [81]) et *Dioscoridem.*

Plurimi denique auctores, inter quos *Suetonium* [82]) advoco teſtem, Tiberium νυκταλώπεκα declarant: fuit vero praegrandibus oculis et qui, quod mirum eſſet, noctu etiam et in tenebris viderent, ſed ad breve, et quum primum a ſomno patuiſſent, demum rurſus hebeſcebant.

Imbecillitates aliquot oculorum.

32. *Myopia.*

Egregie iam et perbelle *Ariſtoteles* [83]) proponit: διὰ τί οἱ μύωπες μικρὰ γράμματα γράφουσιν? et reſpondendo addit: ἢ διὰ τὸ συνάγοντας τὰ βλέφαρα γράφειν? — Obſervavit enim apud eiusmodi homines, attractis et conniventibus palpebris viſus acies augeri, et illorum dexteritatem admiratur, quod illi, μὴ ὀξὺ ὁρῶντες, ποιεῖν ἔργον ὀξὺ ὁρώντων. Illam vero conſuetudinem palpebras in anguſtum contrahendi, pro imbecillitate habet, ita nempe ut radius per locum ſeſe depromens anguſtiorem, congeſtior prodeat, neque protinus ex patentibus exiens, distrahatur. — Ex iſta cauſa *Plinius* [84]) de Nerone narrat, Neronem palpebras

81) H. N. 28. 11.
82) Tiber. c. 86. — Plin. XI. 54. Coel. Rhod. XV. 2.
83) Problem. 31. p. 1022 ſq.
84) H. N. XI. 54.

niſi connivuerit, ad prope admota hebetes oculos habuiſſe. Tales autem homines, qui palpebras connivent, *Hippocrati* [85]) vocantur ἀσκαρδάμυκτοι, et *Ariſtoteles* [86]) hanc conſuetudinem pro impudentiae et inconſtantiae habet indicio: mediocriter conniventes enim, morum integrorum et laudabilium nota.

33. *Presbyopia.*

Ariſtotele iudice, [87]) presbyopia et myopia ſolo oculorum ſitu (ἡ θέσις) diriguntur. Oculi nimis prominentes (ἐξόφθαλμοι) procul cernere nequeunt (οὐκ εὐωπὰ πόῤῥωθεν): in cavo vero quaſi delitescentes (ἐν κοίλῳ κειμενα) longe adſpicere poſſunt (ὀρατικὰ τῶν πόῤῥωθεν), quoniam motus in vaſtum non diſſipatur, ſed bene excedere poteſt (εὐϑυπορεῖν). Ita igitur potiſſimum res cernerentur longinquae, ſi inde ab oculo veluti fiſtula quaedam porrecta ad rem usque cernendam continuaretur! —

Aliter *Galenus* [88]) ut vidimus, ex humoribus oculi, facultatem res remotas et vicinas acute cernendi interpretatur: craſſi nimirum presbyopiam, pauci vero myopiam conſtituunt.

---

85) De morb. vulg. II. p. 133.

86) Hiſt. anim. I. 10. p. 837.

87) Generat. anim. V. 1. p. 1334.

88) De uſu part. X. 5.

34. *Oxyopia.*

Ex *Ariſtotelis*[89]) definitione acute cernere facultas eſt, aut procul cernendi, aut differentias rerum, quae cernuntur, quam acerrime percipiendi. Quod quidem ſimul nemini contingit. Cauſa vero acute cernendi riteque differentias percipiendi, in ipſa oculi ſede, in humoribus limpidis et in cornea omnino laevi quaerenda eſt. Ut enim in veſte mundiſſima, vel minima maculâ perſpicua eſt, ſic in puro ſinceroque oculo, vel parvus motus patet ſenſumque afficit. —

Pertinent huc oculi lyncei ex metonymia pro acutis dicti,[90]) et a lynce primum ad *Strabonem Lynceum* translati, de quo *Valerius* M. narrat, illum oculis ita lynceis et certa luminum acie uſum eſſe, ut a Lilybaeo promontorio egredientes Carthaginienſium claſſes intueri potuerit.[91])

---

89) Generat. anim. l. l.

90) Horat. ſerm. I. Sat. 2. 90. — Epiſt. I. 1. 28.

91) De miracul. I. no. 14.

CAP. IV.

DE

MEDICAMENTIS AD OCULOS VITIO ADFECTOS CURANDOS PRISCIS USITATIS.

Conſiderantibus hiſtoriae naturalis primam inventionem, vix quodpiam nobis obvenit, ex quo ſcientiae cuiusdam umbra reddi poſſit atque effici. Notitiae aut fruſtra deſiderantur, aut ſi adſunt, mythis complicatae ſunt eorumque pallio involutae, aut unice ſe vertunt circa uſum et victum, ob quos celebrantur. In *mythicis* itaque traditionibus de plantis vel vetuſtiſſimam quaero notitiarum originem. Hac aetate ſacrae Diis arbores et herbae, quae cum eorum ſimulacris modo ſubinde fingebantur: hac aetate poëtarum effrenata libertas plantarum ortum ipſis tribuebat Diis, ut Narciſſi, Hyacinthi, Lauri et ipſius Adonidis mythi ſaepe decantati demonſtrant. Ex mythicis cum tempore emergebant *medica* ſuffragia: ſacerdotes medicinam facientes ambiguis aenigmatibus aliisve praeſtigiis, tamen aliquando etiam auxiliis ex natura petitis, hominum morbos lenire et curare profitebantur, ipſam vero medicinam mythis haud liberam volebant, quae ab initio imaginibus et ſuperſtitione plena erat et valde conſpurcata. Iſtae medico-magicae plantarum utilium inveſtiga-

tiones ſenſim aut ex caſu coeco, aut ſacerdotum ſtudio perfectiores exibant et credulitate rudi abiecta; a medicis aliisque continuabantur: aliae accedebant obſervationes ab animalium inſtinctu impulſorum derivatae, dum herbas ad allevandas et curandas iniectas iniurias exquirerent, quorum exempla vetuſtas multa, notiora vero in Dictamno [1]) ab Idae capris ſauciis expetito et Helleboro (*Melampus* enim draſticam vix ex capris ferter), [2]) ſervavit, quibus homo in ſimilibus periculis auxilia derivaret: ὡς γὰρ ἐν ἀνθρώπῳ τέχνη καὶ σοφία καὶ σύνεσις, οὕτως ἐν ἐνίοις τῶν ζώων ἐστί τι ἑτέρα τοιαύτη φυσικὴ δύναμις, ut Stagiritae [3]) aurea verba iam evincunt. — *Chiron* Theſſalus iam, ante

1) Ariſt. de mirab. auſc. p. 1048. — Hiſt. anim. IX. 8. — Theophr. hiſt. pl. IX. 16. — Plin. hiſt. nat. VIII. 41. — XXV. 8. — Cic. N. D. II. 50. — Virgil. Aen. XII. 412. — Aelian. var. lect. I. 10.

2) Plin. H. N. VIII. 27. — Aelian. var. lect. XIII. 50. — Id vero innumera confirmant exempla: Draco nauſeam lactucae ſylveſtris ſucco abſtergit Plin. VIII. 27. — Caſſiae partem ligneam alvum ducere a ſimiis homines didicerunt. Fallop. purg. ſimpl. 35. — Accipitres hieracii ſucco oculis medentur, Aelian. hiſt. anim. II. 43. — Serpentes ſenectam de oculis deiiciunt, admoto foeniculo, Idem IX. 16. — Plura collecta conferantur apud Anatolium, a Fabricio in bibl. graeca editum.

3) Ariſt. hiſt. anim. VIII. 1. p. 1008.

Troiana tempora, herbarum vires ita profitebatur, [4]) ut ab eo *Aeſculapius* [5]) et ipſe dein *Achilles* [6]) eam cognitionem acciperet: quos tamen *Homerus*, ut *Celſi* verba [7]) comprobant, neque in peſtilentia, neque in variis morborum generibus aliquid auxilii attuliſſe, ſed vulneribus tantum ferro et medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit: *Patroclus* itaque *Eurypyli* vulneri amaram radicem imponit. [8]) *Circen* quoque radicum et herbarum vires intellexiſſe, *Diodorus* [9]) teſtis eſt: et *Melampus Proetei* delirantes filias helleboro et balneis ſanat. [10]) *Phoebus* Φάρμακα mortalibus morbo laborantibus primum obtulit et *Pindarus* [11]) potiones medicatas cum aliis Dei donis et remediis coniunctas memorat. *Orphea Plinio* teſte [12]), omnium primum, quantum memoria patet, de herbis curioſum quaedam prodidiſſe fertur, et *Pythagoras*

4) Hygin. fabul. 138 et 274. — Plin. H. N. VII. 56. — Otto Heurnius itaque in antiq. philoſ. barbar. p. 107. affirmat, Chironem dictum eſſe a manuum dexteritate in tractandis vulneribus.

5) Homer. Il. IV. 218.

6) Ibid. XI. 830.

7) De medic. I. 1. p. 1.

8) Homer. Il. XI. 683.

9) Diod. Sicul. Bibl. IV.

10) Herodot. XI. 4. — Apollod. bibl. p. 46. — Plin. XV. 21.

11) Pyth. III. 25.

12) H. N. XXII. 2.

geres Samius in plantis ſolum alimenta quaerens, deinde vero medicinam quoque faciens,[13]) primum omnium volumen Apollini Aeſculapioque adſcriptum, de herbarum viribus contulit,[14]) et, ex illa aetate, ſcillae efficacia per *Epimenidem*, quae exinde etiam Epimenidea vocatur, innoteſcit.[15])

Cum his magicis et mirabilibus de plantarum effectu commentis, prodiit *phyſica* plantarum interpretatio cum priſcorum philoſophorum *ἱμερομένης* ſtudio: πάντες γὰρ ἄνθρωποι, ut cum *Ariſtotele*[16]) affirmo, τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει· — διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. — Philoſophi de Deorum natura, mundi ortu, animalium herbarumque generatione, admiratione adficiebantur et in illis explicandis nunc deſudabant. Maturius itaque plantarum phyſiologia philoſophorum diligentiam arripuit, quam *hiſtoricae* cognitionis deſiderium, quod ſerius multo e medicis inveſtigationibus profectum, cum *Theophraſto* Ereſio tanta luce inclaruit.

Citius iam, aut cum illis exſtiterunt *ῥιζοτόμοι* ſ. *Φαρμακοπῶλαι*, per totam Graeciam celebres, literarum quidem rudes, ſuperſtitioni dediti, ac-

13) Diog. Laert. VIII. 1. Celſi praef. ad libr. 1.

14) Plin. H. N. XXV. 5. — Eum librum nonnulli Cleomporo medico tribuunt.

15) Plin. H. N. XIX. 5.

16) Ariſt. metaphyſ. l. 1. p. 1124. c. 2. p. 1127.

curatius tamen in herbarum naturam earumque effectus inquirentes. Quorum primum *Theophraſtus* [17]) nominat *Thraſiam*, δεινότατον τὰ περὶ τὰς ῥίζας, et eius discipulum *Alexium*, peritiorem in medicina magiſtro. [18]) *Eudemum* quoque laudat, qui inveſtigandas herbarum virtutes in ſe ipſo expertus eſt. [19]) Ex hoc digniſſimo rhizotomorum ſtudio philoſophorumque memoria exiit tandem *experientia*: γίγνεται γὰρ ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις. αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι. ἀποβαίνει δὲ ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας· ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τύχην ἐποίησεν, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην. γίνεται γὰρ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλουμία γίνηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις! [20]) — et *Celſus* [21]) verum eſt, ad ipſam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam, perhibet.

His igitur primis ſuperſtitionis et artis prodeuntis incunabulis, me iudice, abſcondita eſt pharmacologiae origo, quae magno cum ardore a priſcis iam exculta, noſtris diebus aut nova recepit, aut iam nota et diu experta, ob uſum incommodum primis inventoribus reddidit. Haud

17) Hiſt. pl. IX. 18.
18) Ibid. IX. 17.
19) Ibid. IX. 18.
20) Ariſt. l. l. p. 1224.
21) De Med. I. 1. 9.

facile autem morbi cuiuslibet inveniri poteſt genus, de quo maior medicamentorum numerus inventus ſit et a priſcis commendatus, quam eorum, quae ad oculi vitia curanda adhibita laudant priſca medicorum monumenta. Tanta itaque medicamentorum ocularium ubertate obſervata, *Cicero*[22]) haud incommode iam dicit: „mirari licet, quae ſint animadverſa a medicis herbarum genera, quae radices ad morſus beſtiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim atque naturam ratio nunquam explicavit!“ — Quae autem *Ciceronis* verba minime promiſcue dicta, ſed ad noſtram materiem, ubi medicamenta ocularia recenſentur, praeter veritatem ipſam, alioquin etiam aptiſſima habeo, quum ſcilicet iuxta beſtiarum morſus et vulnera ſananda, oculus adfectus commemoratur, qui quamvis mortem non advocet, tamen ſive adfectus, ſive plane corruptus, ſummam eripit voluptatem et ex hac potiſſimum cauſa exoptatum et valde neceſſarium flagitat auxilium. Numerus ergo remediorum ocularium clare comprobat et medicinae ocularie maturam originem, et vindicat revera etiam vota intenta et merita veterum, vitia oculus ex quacunque cauſa infeſtantia curandi et debilitandi, aut modo leniendi. Effectum vero ipſum et felices cum illis ſucceſſus ancipiti quaſi diiudico calamo. Magna quidem conſcientia ex *Hippocratis* et *Celſi* ſupra laudatis

22) De divinat. I. 7.

verbis redundat, si ille, medicum ipsum de infelici oculorum adfectorum cura, adcusat, et si hic adseverat, vix ex omnibus ullum esse oculi vitium, quod non simplicibus aut promtis remediis submoveri possit! — Ipse tamen *Celsus* [23]) de hac clara medicorum virtute palinodiam inchoare videtur, admonens, in oculis omnino saepe deprehendi posse, qui a medicis diu vexati, sine his interdum etiam sani restituantur: quod quidem et *Celso* et nostri aevi medicis haud incommodum dictum et confessum interpretor, quum illis temporibus, acrium fortiumque remediorum oculi naturae contrarius usus, et manus crudelitas sanguinolenta, his vero, ardor et desiderium deficiens, oculos adfectos cognoscendi mos et in quibusdam scholis consuetudo accusanda sit.

„Quo peius malum est minusque facile discutitur, eo plura sunt tentata auxilia:" — hac prorsus de strumis *Celsi* [24]) opinione confidere etiam vastam medicamentorum ocularium sylvam. Per se enim liquet, mortales imperitissimasque gentes [25]) vitio quocunque adflictas, citius auxilia et herbis, quarum indoles gustu, aut alia observatione experta erat, petiisse et desideravisse ac ex manu perficiendis operibus. *Plinius* [26]) ipse

23) VII. 1. p. 611.
24) V. 18. p. 451.
25) I. 1. 1.
26) H. N. XXVI. n. 6.

etiam verbis, medicinam graecorum ad Aegypti exemplum, vel solummodo in herbis constituisse adseverat; a quo *Scribonium* [27]) non alienum videō dicentem: priscos mortales, in tanta chirurgorum imperitia, ferro se minus faciles praebuisse, ut medicamentorum usum praemissum neglexerint. Per longum itaque tempus simplicia modo ex regno vegetabili adhibebantur, donec inter Aegyptios medicina mollis et cum illa medicamenta composita, unguenta, collyria, cataplasmata et q. á. sunt, exstiterint. Omnis generis igitur et ex vegetabilium, animalium minerarumque regnis et quae inter illa coenosa reperiuntur medicamenta ad materiam medicam in oculi adfecti usum translatam observamus. Usu proxima per se primum sine dubio innotuerunt vegetabilia: eodem autem iam tempore simul primi medicinae inventores gravioribus oculi vitiis et metalla accommodabant, quorum quaedam casus comprobavit, ut chrysocollam et nitrum, et quorum aliquot ad nostram usque aetatem conservata sunt, ut Zincum oxydatum album. Coenosa quam plurima originem habent recentiorem, quorum usus vix certe nobilibus vulgaris et notus esse potuit et quae sine dubio, vel maxime urgente necessitate accersita sunt. Nostris etiam temporibus, apud vulgum usitata saepe observat medicus praesidia, quae nobilibus teterrima, vulgo vero reliquis palmam prae-

27) Praefat. ad. 1.

ripere videntur. Manu oculorum vitia debellandi dexteritatem et conamina, ut plurimum heroica, dolore periculoque coniuncta, omnia demum ex praeconceptis philoſophorum medicorumque theoreticis ratiociniis emergebant et derivanda ſunt: opera enim minime empirica, egregie cum legibus conſpirant, nec quoque theoria ex factis operibus, ſed haec ex illa orta ſunt.

Ex his igitur medicamentorum ocularium hiſtoriam et ex ſupra dictis vitia oculi illuſtrantibus, clariſſime patet, oculis adfectis medendi rationem primum ſolam medicinae partem conſtituiſſe et illius primaevam continere originem, tunc tandem, ſeriori aevo, manu vitiis medendi peritia accedente, ad chirurgiam translatam eſſe. Illi igitur parti *Celſus* in libro ſexto, huic in libro ſeptimo praecepta bene accommodat.

Iſta autem remedia ocularia minime una eademque via et ratione, ſed cum tempore, admodum varia, adhibita eſſe, certum eſt. *Hippocrates* iam, ut ſupra monuimus, ſimpliciorem curandi methodum exercens, oculos adfectos curare praecipit, mero medicamentoque epoto, balneo, fomento aut venaſecta; qui canon, non ſolum prima pro oculis adfectis artis praeſidia ſervat, ſed quoque comprobat, ea ſi ex indicationibus certis, quae a *Celſo* iam exponuntur, adhiberentur, legibus hodiernis haud plane contraria eſſe. A priſtinis inde ergo temporibus medici, oculorum vitia adgreſſi ſunt auxiliis interna et externa via

adhibitis, quorum varii modi primum illustrandi sunt.

A. *Externus usus* medicamentorum illorumque effectus varie iam a priscis exponitur et iuxta *Celsi* praecepta fere sic interpretandus.[28])

1. *Sanguinem supprimunt*, atramentum sutorium, chalcitis, acacia, aloë, gummi, plumbum combustum, misy, frigida aqua, acetum, squama ferri et aeris.
2. *Vulnus quodlibet glutinant*, myrrha, thus, gummi, tragacantha, ovi album, vitis alba, mel coctum, spongia ex aqua frigida, vel ex vino expressa, lana succida.
3. *Concoquunt et pus movent*, nardum, myrrha, balsamum, galbanum, styrax, sevum, adeps, oleum.
4. *Purgant*: aerugo, squama aeris, styrax, resina, oenanthe, lacerti stercus, sanguis columbae et hirundinis, ammoniacum, ficus arida, fel, vitellus, cornu cervinum, mel crudum, misy, chalcitis, uva taminia, spuma argenti, lapis haematites, minium, sevum, oleum, ruta, porrum, ervum, senticula.
5. *Exedunt*: acaciae succus, hebenus, aerugo, squama aeris, chrysocolla, nitrum, cadmia, argenti spuma, sal, cicuta, aeris flos, chalcitis, atramentum sutorium, alumen, tithymal-

28) De Medic. V. 7 sq.

humida in formam fluidam redacta, aut soluta, κατ' ἐξοχήν, oculis accommodabantur. Lenia etiam sunt et fortia: haec ex metallis parata, illa sine his ex vegetabilibus, maxime ex Opio et Myrrha composita. Collyriorum autem numerus et dignitas praesertim sequentibus et recentiori tempore ultra fines increverunt et cum quolibet vel indignissimo sic dicto medico ophthalmico, novis augebantur. De illis itaque legendum commendo *Iugleri* doctum libellum, et ne fines opusculi excedam, nobilissima modo in antecedentibus laudavi, reliqua vero omnia, quae apud *Galenum*, *Paulum* et *Aëtium* uberius occurrunt, silentio transii.

2. *Pastilli*, collyriis proximi, modo minores, secundum locum obtinent. *Celso* autem auctore [29]) hac forma, arida tantum medicamenta, aliquo humore, maxime autem aceto, iunguntur. Ex metallis igitur fere omnes compositi, trium fere generum sunt: quorum unum potui datur, alterum in alvum iniicitur (Pastillos Rufillus olet, Garganius hircum, *Horat.*, [30]) — collyriola in anum supposita *Macer*, [31]) tertium vero illitionibus servit, de quo *Celsus* et reliqui auctores de medicina ocularia frequentius verba faciunt. Sunt caeterum pastilli, ut collyria, humidi et sicci.

---

29) V. 7. p. 446.

30) Serm. I. Sat. 2. 2.

31) IV. 12.

a. fuori recens expreſſi;
b. ſemina iuncta palpebra immiſſa v. c. Alectorolophi;
c. olea inuncta circa oculos (malagmata);
d. folia tenera, flores recentes et ficci impoſiti;
e. radices contuſae, decoctae illitae;
f. cineres ex ſeminibus inſperſi.

Ex illis omnibus ſimplicibus dein compoſitas formulas reperimus in Aegypto confectas, quae fere his conſiſtunt:

1. *Collyria.* Huic compoſitioni magna gloria et laus apud veteres fuit, indeque magnus numerus ab ipſis commendatus. Collyria ex Aegypto in graecorum templa translata, dicta ſunt ἀπὸ τοῦ κολλυρίζειν et hoc ἀπὸ τοῦ κολλᾶν, a miſcendo: ex variis enim et multis ad uſum quempiam praeparatis ſimplicibus e regno vegetabili et minerali invicem ad τῆς κολλύρης formam commiſcebantur, et aquae pluviatilis, roſarum ſucci, vini auſteri et aminei, lactis aut alius cuiusdam humoris ope ad mellis ſpiſſitudinem ſolutis, ne glutinentur et frientur ubi inaruerint, perfectior ſine dubio dotis gummi cuiuslibet addebatur. Duplicia itaque conſtituo collyriorum genera, ὑγροκολλύρια et ξηροκολλύρια; ficca in formam oblongo-cylindricam ad mellis ſ. unguenti ſpiſſitudinem temperata, aut proprie ad oculos, aut quoque paſſim ad fiſtulas in corpore ſanandas, intra calamum ſcriptorium, fere ut nobis lapis infernalis, recondita, adhibebantur:

10. *Fricatio* circa oculos et aures aut per totum corpus commoda etiam esse dicitur.

B. *Internus usus* medicamentorum ad oculi vitia curanda parcius modo a priscis laudatur. *Hippocrates* tamen et *Celsus* medicamenta epota utilia declarant: hic insuper in ducta alvo, in abstinentia et in quacunque victus ratione, in diaphoresi universali, praecipue autem per caput elicita, et ubi oculi adfecti dolores summi, quietem intercipiunt, in anodynis, et contra oculos ex senectute, aut alia imbecillitate caligantes, apte ex lecinoris perfectissima dosi, auxilia spondet et collaudat.

Denique in his non solum observatis veterum merita consistunt, sed alia etiam adficiunt altiora. *Celsus* enim alia interdiu, alia per noctem in gravioribus oculorum vitiis remedia commoda, et primis diebus omnia externa noxia habet: et quo gravior inflammatio, eo magis lenire medicum adiecto vel ovi albo, aut mulieris lacte, et illa in recentibus commoda, quae in veteribus noxia esse, et haec vice versa, praecipit. Effectus specificos quorumdam medicaminum in oculos etiam intellexere, ut v. c. ex vini, anagallidis, scillae, origani, opii et myrrhae frequenti usu et de illis observationibus evinci potest et intelligi.

Iam vero consideratis exemplisque aliquot illustratis pharmacologiae initiis in universum iuxta mea de hac materie enucleatis suffragia, et auxiliorum versus oculos adfectos origine modisque

variis, quibus adhibita ſunt, indicata, ipſa medicamenta ſimplicia a priſcis commendata recenſeamus. Illorum vero tanta exſtat copia, ut noſtrae aetatis numerum multo ſuperent, cum recentioribus obſervationibus maxima pars utpote inutilis reiecta, aut nondum iterum adhibita, neglecta, aut experimentis haud ſatis comprobata ſit. Nihilo-ſecius vero ſine dubio quaedam illorum latent omniuo efficacia, quorum uſus in poſterum forſan e novo elucebit. Agmen ducant, quae ad regnum vegetabile pertinent, quorum laudes prae caeteris celebrantur et prima quoque obtulerunt auxilia. Ordinem ſyſtematicum in ſingulis enumerandis volui quidem perſequi, minime tamen neceſſarium putavi et ex hac potiſſimum cauſa alphabeticum tenui. *Plinii* fontem uberrimum, qui plurima ex quolibet artis tempore, maxime vero ex *Dioscoride* continet, indico, quem in ſequentibus expiſcatus ſum, et cuius verba, adiunctis aliorum, ſi adſunt, auctorum locis transſcripſi: *Celſi* vero auctoritatem de pluribus ſimplicibus ſupra iam cum morbis ipſa ſimul inter compoſita recenſui, indeque hoc loco transii.

I. Regnum vegetabile.

Acaciae purpureae et leucophaeae ſuccus, oculorum medicamentis ante alias utilis. Lavantur in eos uſus paſtilli ab aliis, torrentur ab aliis. *Plin.* H. N. 24. 67. ex *Dioſcor.* III. 18.

Acori (Acorus Calamus) vis contra ſuffuſiones et caligines oculorum, ſucco eiusdem epoto, contraque ſerpentes. *Plin.* 25. 100.

Aconitum (Ac. Lycoctonum) maiores oculorum quoque medicamentis miſceri ſaluberrime, promulgaverunt. *Plin.* 27. 2. *Dioſc.* IV. 77.

Aegilops (Avena fatua) aegilopas ſanat herba eodem nomine, quae in hordeo naſcitur, tritici folio, ſemine contrito cum farina permixta impoſitaque vel ſucco. Exprimitur hic ex caule foliisque praegnantibus, dempta ſpica et trimeſtri farina digeritur in paſtillos. *Plin.* 25. 93. ex *Dioſc.* 4. 139. et *Galenus* fac. ſimpl. VI. p. 83 et p. 151, aegilops aegilopas ſanat.

Allium ſativum (σκόροδον), oculis haud convenit. *Hippocrat.* de ſan. vict. rat. IV. p. 45.

Alectorolophus (Rhinanthus Alector.): ſolidum ſemen coniicitur in oculum, nec turbat, ſed in ſe caliginem contrahit. Mutat colorem, ſed ex nigro albicare incipit et intumeſcit ac per ſe exit. *Plin.* 27. 23. In hoc ſeminum utrinque compreſſorum uſu latet ni fallor lapidum cancrorum uſus hodiernus qui a variis adhuc commendatur et ex illo ortus videtur.

Aloë (A. perfoliata) oculorum vitia, omnia ſanari ea convenit, privatim prurigines et ſcabiem genarum. *Plin.* 27. 5. ex *Dioſc.* 4. 89. Oculorum phlegmones aloë etiam corrigit. *Galen.* fac. ſimpl. 6. p. 85.

Amygdala (An. communis). Oleum amygdalinum purgat et emollit, vitiis auditus et oculorum praeprimis commodum. *Plin.* 23. 42. — Amygdalae amarae capite epinyctidas sanat. *Plin.* 23. 75.

Amylum hebetat oculos: epiphoras oculorum tamen inhibet et ulcera sanat. *Plin.* 22. 57. *Dioſc.* 2. 123.

Anagallis (An. arvenſis var. flor. coeruleo et fl. phoeniceo). Anagallida aliqui corchoron vocant, duo eius genera, mas flore phoeniceo, foemina, coeruleo: prior floret coerulea. Utriusque ſuccus oculorum caliginem discutit cum melle et ex ictu cruorem et argema rubens, magis cum Attico melle inunctis. Pupillas dilatat et ideo hoc inunguntur ante, quibus paracentesis fit. lumentorum quoque oculis medentur. *Plin.* 25. 92. ex *Dioſc.* 2. 209. *Oribaſ.* 1. p. 189.

Iſtius anagallidis effectus priſcis decantati, noſtris temporibus vero novi et ignoti obſervationem, maioris certe momenti habeo, quam ut a nobis utpote inutilis reiiciatur. Modum enim declarat laudatiſſimi illius στρατηγηματος ocularii, cuius ope pupillae porta ad corrigenda interni oculi vitia, magis pateat, primam notitiam, quae nuperrime demum a primis noſtri aevi ὀφθαλμοσόφοις aut cum hyoſcyami, aut cum belladonnae ſuccis inſpiſſatis et ex aqua ad collyrium probatorium ſolutis, inſtituitur. Minime quidem concupiſco, ut nova introducam et laudem in pharma-

cologia remedia: istam tamen anagallidis egregiam vim, in pupula dilatanda, haud sine voluptate in memoriam revoco et de veterum experientiam cum illa factam restituo et quasi vindico.

Anagallis vi narcotica gaudet, forsan ob olei abundantiam insignem, quae primo ipsa intuitu ex glandulis folio insculptis potest cognitu. Medium tenet inter belladonnam et hyoscyamum et anagallidis usus versus hydrophobiam antiquior est belladonna qui a *Galeno* et *Aetio* iam comprobatur et hoc prior est in medicina oculari. — Manipulus unus herbae recentis Junio mense lectae, drachmas duas extracti inspissati praebuit, quod prasino viridescit, fere ut extractum. Collyrium inde paratum aqua subtilis, laete viridis coloris est, nec odore quodam et oleo innatante alienus. Et succus inspissatus et diutus palpebris inunctus pupulam dilatat: oculo vero iniectus, nec antea lenibus temperatus, intolerabilem efficit dolorem, ardorem praeprimis in carunculo lacrymali et in cantho interno diu residuum tincturae opii vinosae fere fortiorem et largas efficientem lacrymas. Hic dolor pungens et ardens in cantho interno ingratissimus dirimit quidem et quodammodo inhibet anagallidis usum, et ex hoc incommodo veteres medici illum cum malis ambiguis; diminuitur etiam, ubi succus maiori diligentia extrahitur et ab acri vegetabili succo, qui in meo collyrio residuus erat, depuratur, nec in oculo a plerisque medicamentis praesertim in opio deest. —

Eo

Eo ipso tempore quo pauxillum extracti paratum conservabam, occasio deerat, ulterius in variis oculi vitiis anagallidis usum comprobandi: vim tamen fortiorem, fere specificam in caruncolam tenens, adhibui in curanda encanthide, quae paucum post tempus solo anagallidis extracti per penicillo iniecti usu evanuit. Utilis etiam est in extenuandis corneae cicatricibus, ut extr. iuglandum, extr. aloës et fel tauri, quibus remediis iam comprobatis et nostrae plantae extractum addi potest. Pauca ergo quae institui experimenta, plura desiderant antequam anagallidis efficacia certius diiudicari possit. Placeat igitur nostris medicis ocularibus, quibus est medicamenti cuiuslibet vim et effectum aut indagandi et comprobandi, aut reliciendi, ut veterum nutus persequuturi anagallidem aut experti collaudare aut repudiare possimus.

Andrachnes (Arbutus Andrachne?) folia imposita medentur epiphoris vel sucous inunctus purgat oculorum ulcera, explet et ad cicatricem perducit, palpebras deglutinat. *Plin.* 28. 103. *Dioſc.* 4. 89. in lippitudinibus a sanguine abortis utiliter inungi soribit.

Anemone (An. Pulsatilla) oculorum cicatrices extenuat. *Galen.* fac. simpl. 6. p. 87.

Absinthium (Artemisia Absinthium) oculorum claritati multum confert, epiphoris cum passo imponitur, sugillatis cum melle. *Plin.* 27. 28. *Dioſc.* 3. 28. Apulei. c. 100. tit. 2.

Arum (Arum italicum) elixum epiphoris imponunt, et ſuccus radicis cum melle attico oculorum caligines discutit. *Plin.* 24. 92. *Pſeudo-Hippocr.* de viſu, c. 2.

Asphodeli (A. luteus) folia decocta in faece vini, oculorum epiphoris ſuppoſito linteolo medentur. *Plin.* 22. 32. *Dioſc.* 2. 199.

Balſaminum oleum (ex Amyride gileadenſi?) oculorum claritati plurimum confert; caliginem discutit. *Plin.* 23. 47.

Braſſicae oleraceae varietates, inter medicamenta a *Chryſippo* medico, *Pythagora* et *Catone* valde celebratae, prodeſſe dicuntur oculorum caligini ſcintillationique: claritatem oculorum augent, ſi crudarum ſuccus angulis illinitur. *Plin.* XX. 33. — Braſſicae cruda, trita, cum pane candido madefacto ſubacta, ac fronti illita, dolorem oculorum plurimum relevat. *Marc. Emp.* c. 8. p. 55.

Capnos prima (Fumaria officinalis) oculorum medicamentis additur. *Plin.* 25. 98: eius ſuccus oculorum aciem acuit. *Galen.* f. ſimpl. 7. p. 100.

Capnos fruticoſa (Colutea arboreſcens?) inunctis oculis claritatem facit, delachrymationemque, ceu fumus, unde nomen. Eadem evulſos pilos in palpebris renaſci prohibet. *Plin.* 25. 99. *Dioſc.* 4. 129. *Marc. Emp.* c. 8. p. 70.

Cedri (Pinus Cedrus) ſuccus inungitur contra oculorum albugines caliginesque. *Plin.* 24. 11. *Dioſc.* 1. 105.

Centaurium (Chironia Centaurium) *maius*

oculorum aciem adiuvat, ſi addita aqua foveantur. *Plin* 25. 91. Eius ſucco oculos ex melle inunctos, caligine ſtatim depoſita, tenuiſſimam aciem reſumere, teſtis eſt *Marc. Emp.* c. 8. 61. Commendatur quoque adverſus morbum regium oculorum *Plin.* 26. 77. — *Centaurii minoris* ſuccum cum melle, culices, nubeculas, obſcuritates discutere, cicatrices extenuare, *Plinius* refert 25. 91. *Gal.* f. ſimpl. VII. p. 102. cum melle. Laudes egregiae cf. apud *Dioſc.* 3. 9. Apulei. c. 35. 2.

Chamaedryos herbae (Teucrium Chamaedrys) quae latine trixago dicitur, foliorum ſuccus cum oleo caliginem oculorum discutit. *Plin.* 24. 80. *Dioſc.* 3. 112. *Theophr.* hiſt. 9. 10.

Chamaeleon (Carlina acaulis). Aiunt, ſi quis ante ſolis exortum eam capiat dicatque ad caligines oculorum ſe capere, alligata discuti id vitium: quoquo modo vero collectam iumentorum pecorumque oculis ſalutarem eſſe. *Plin.* 24. 82.

Chamaeſyce (Euphorbia?) oculorum claritati et contra ſuffuſiones utiliſſima et cicatrices, caligines, nubeculas, in vino inuncta ſanat. *Plin.* 24. 82. ex *Dioſc.* 4. 170. Cum melle craſſas oculorum cicatrices detergit et a craſſitie natum viſum hebetem adiuvat. *Galen.* ſ. fac. 8. p. 129.

Chelidonia (Chelidonium maius) easdem fere habet vires ac centaurium maius. *Plin.* 25. 91. *Marc. Emp.* 8. p. 57. *Apuleius* c. 73. chelidoniam laudat ad caligines oculorum, ſcabritiem, vulnera et albugines, quod ex ſequentibus etiam patet:

„Foeniculum, verbena, roſae, chelidonia, ruta,
Ex his confice aquam, quae lumina reddit acuta!“

Veteres multi ſunt in laudando Chelidonii ſucco, et *Macer* in poëmate de herbarum virtutibus, modum quo adhiberi debet, indicat:

„Florentis ſuccus cum melle coquatur in aere
Igne levi, ſpumam donec proiecerit omnem,
Et quaſi craſſitiem mellis decoctio ſumat.
Utilius pullum dicunt oculis medicamen,
Quos caligo nocet, ſi ſint hoc ſaepe peruncti.“

— Caeterum chelidoniae herbae vi hirundines oculis pullorum in nido reſtituere viſum, etiam erutis oculis, *Plinius* (28. 50.) ex *Dioſcoridis* II. p. 211. refert. Fabuloſum *Celſus* habet, ut alibi iam indicavimus. Cf. ad hanc rem auctor. ephemerid. german. ann. 8. obſ. 18. p. 32. — Laudes Chelidon. inter medicament. ocularia cf. apud Tabernaemont. Kreuterb. I. p. 126.

Chondrilla (Lactuca Scariola) pro gummi efficaciſſime regit palpebrarum pilos inordinatiſſimos. *Plin.* 22. 45. *Dioſc.* 2. 159.

Cicutae (Conium maculatum) ſeminum ſuccus expreſſus praecipue ad cohibendas epiphoras aeſtivas oculorumque dolores ſedandos, circumlinitur: miſcetur collyriis. Folia quoque tumores omnes, dolorem et epiphoras ſanant. *Plin.* 25 95.

Clematidis folia (Vinca maior et V. minor), epiphoris imponuntur cum polenta, ſuppoſito linteolo. *Plin.* 24. 89.

Cotoneorum flos et viridis et ſiccus oculorum inflammationibus prodeſt. *Plin.* 23. 54.

Cotyledon (Sempervivum tectorum) ſuccus oculis medetur. *Plin.* 25. 101.

Crethmos agrios gramias tollit oculo impoſitus, tumorem quoque polenta addita. *Plin.* 25. 96.

Ebenus (Diospyros Ebenus) habet abstergendi vim, quamobrem, quae pupulas obfuſcant, extergere creditur, miſcetur aliis remediis ocularíis, quae ad ulcera antiqua, fluxus, puſtulas commoda ſunt. *Plin.* 24. 52. *Dioſc.* 1. 129. *Galen.* fac. ſ. 6. p. 94.

Erigerontis (Erig. acre) lanugo cum croco et exiguo aquae frigidae trita illinitur epiphoris. *Plin.* 25. 106.

Erynge (Glycyrrhiza echinata) inſperſa medetur pterygiis. *Plin* 22. 11.

Euphorbii (Euph. officinarum) ſuccus lippitudini, ſi tumor erit, abſinthium cum melle tritum, itemque Vettonicae farina convenit: claritatem etiam auget. *Plin.* 25. 92. — Alia euphorbiae ſpecies, *Tithymalum* dicta, ſuccum corrodentem habet, qui oculos enecat, cavendum itaque ne oculos attingat in colligendo ſucco. *Plin.* 26. 39. — *Galen.* fac. ſimpl. 8. p. 129. ſuccum tamen verſus pterygia et oculorum ungues laudat.

Ficorum (F. Carica) follia molliſſima ſanare dicuntur epinyctidas. *Plin.* 23. 64. Succus lacteus pilos detrahit palpebrarumque ſcabiem emendat. *Ibid.* 63.

Foeniculum (Meum Foeniculum *Spr.*), nobilitavere ſerpentes guſtatu, et in hiberna latebra

visu obscurato, senectam exuendo, oculorumque aciem succo eius inuncto reficiendo; unde intellectum, hominum quoque caliginem eo praecipue levari. Colligitur caule turgescente, in sole siccatur, ex melle inungitur. Ita *Plin.* VIII. 41. XX. 45. ex *Dioscor.* III. 81. et *Plin. Valer.* IV. 24. Graecis foeniculum μαραθρὸν est. *Q. Serenus* itaque (c. 14. p. 133):

„Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
Expressae marathro guttae cum melle liquenti
Detergere malum poterunt: vel vulturis atri
Fella, chelidoniae fuerint queis gramina mixta."

Aemil. Macer (de virt. herb.) radice utitur:

„Radices succus mixtus cum melle recenti,
Pulsa reddit eos omni caligine claros."

Cf. *Galen.* de fac. simpl. VII. p. 206. — Inter recentiores iam auctores de illo uberius agit *Tabernaemont.* Kreuterb. I. p. 186. —

Fungi lavantur etiam oculorum medicamento. *Plin.* 22. 47.

Gallae in vino decoctae auribus oculisque illinuntur. *Plin.* 24. 5. Ex vino decoctae humor instillatus auriculae, ex qua fluit sanies, et fronti illinitus, tumorem oculorum doloremque sedat. *M. Emp.* c. 9. p. 80.

Gentianae (G. lutea) succus etiam collyriis acrioribus prae meconio miscetur, quibus claritas oculorum restituitur. *Plin.* 25. 91.

Glaucion, Syriae Parthiaeque herba, epiphoras sanat: hino temperatur collyrium, quod me-

dici diglaucion vocant. *Plin.* 27. 59. *Dioſc.* 4. 100. *Scrib.* L. 21.

Glycyrrhizae (Gl. glabra) radix ſicca idonea verſus pterygia ſ. ungues oculorum. *Gal.* f. ſimpl. 6. p. 92.

Hammoniacum (gummi ex Ferula quadam) claritati viſus in collyriis convenit: pruritum, cicatrices, albugines oculorum tollit. *Plin.* 24. 14.

Hemerocallis folia epiphoris illinuntur. *Plin.* 21. 40.

Hyoscyami (H. niger) ſemen bibunt obolos tantundem meconii adiicientes, vinumque ad epiphoras inhibendas. *Plin.* 25. 91. *Holochryſos* eadem vi gaudet. *Plin.* 21. 86.

Lactucae (L. ſativa) uſus frequentior in cibo claritati oculorum officere, *Plinius* (20. 26.) adſeverat, et ex eadem cauſa, chondrillam (Lactuca quercina et Scariola aut quoque L. viroſa) ob ſuccum amarum, oculis contrariam priſci medici habent, *Plin.* 22. 45. — quam obſervationem ſuis numeris abſolutam teneo, ſi ſuccus nimia copia corpori ingeritur. Similiter agit gummi hammoniacum et viſus aciem turbat. Lactucae effectus *Athen.* (Deipn. II. 28. ed. Caſaub.) largius explicat et perhibet inter alia, qui aſſidue lactuca veſcuntur, ad Venerem eſſe invalidos. — Lactucae Scariolae (θριδακ ἀγρία) ſuccus lacteus, ſi ex mulſo bibatur pondere duorum obolorum, argemas cali-

ginesque repurgat et efficacius cum lacte muliebri oculis instillatur. *Dioscor.* (III. 95.)

Lauri (L. nobilis) folia tenera cum polenta trita ad inflammatos oculos commoda, *Plin.* 23. 80.

Lens (Cicer Lens) cum meliloto et cotoneo oculorum epiphoras sanat ob adstringendi vim. *Plin.* 22. 70. *Dioscor.* 2. 129. Alioquin autem aciem obtundit, si nimia copia vescitur ex illis, ut *Plin.* l. l. ex *Hippocratis* forsan (de morb. vulg. VI. p. 247., VII. p. 326.) loco, ubi poma dulcia, lens et olera utpote oculis incommoda indicantur, adseverat.

Lentisci (Pistacia Lentiscus) folia tenera oculis inflammatis illinuntur. Item mastiche lentisci replicandis palpebris et ad extenuandam cutim in facie. *Dioscor.* I. 90. *Plin.* 24. 28.

Leucanthemum et amaracum oculorum epiphoras cohibent cum polenta. *Plin.* 21. 93. *Dioscor.* 3. 47.

Lilii candidi folia in aceto cocta cum hyoscyamo epiphoris imponuntur. *Plin.* 21. 73.

Loltum (L. temulentum) oculorum aciem enecat et hebetat *Plin.* 18. 17.: elegans et acutum itaque fuit scomma Plautinianum (Mil. glor. II. 3. 50.) in quo servus commilitonem suum coecum appellare minime exprobrat, quod lolio victitaverit. *Ovidius* apte itaque (fast. 1. 691.): Et careant loliis, oculos vitiantibus agri.

Lini usitatissimi seminis succus oculorum aciem vindicat: epiphoras cum melle et aqua aut cum

myrrha ac vino ſedat. *Plin.* 20. 92. *Dioſc.* 2. 125. linum contra omnes inflammationes utile laudat.

Lychnidis flammeae (Adonis aeſtivalis) radicem Aſiani bolitem vocant, alligata oculorum discutit albugines. *Plin.* 21. 98.

Lycii (L. europaeum) ſucci ſpuma et flos quibusdam oculorum medicamentis additur. *Plin.* 24. 77. Spumoſum ſc. quod innatat inter coquendum eximito et ad oculorum medicamenta reponito. *Dioſc.* 1. 132.

Malabathrum (? Laurus Caſſia) oculorum epiphoras vino expreſſum utiliſſime imponitur. *Plin.* 23. 48. In vino fervefactum tritumque et ita illitum oculis inflammatis apprime convenire, *Dioſc.* 1. 11. teſtis eſt.

Mandragora (Atropa Mandr.) iam abdicata eſt in curatione. Epiphoris tamen quod certum eſt, medetur et oculorum dolori radix tuſa cum roſaceo et vino. Nam ſuccus multis oculorum medicamentis admiſcetur. *Plin.* 25. 94, ex *Dioſc.* 4. 76.

Melilotos (M. officinalis) quoque oculis medetur cum ovi luteo aut lini ſemine. *Plin.* 21. 87. *Dioſc.* 3. 48. meliloto in univerſum δύναμιν μαλακτικὴν adſcribit, et illam ideo oculis inflammatis aptiſſimam habet. *Theod. Priſc.* de ocul. cauſ. 1. 10. ad caligines, obſcuritates et ſuffuſiones melilotum quoque laudat.

Melissophylli (Melissa officinalis) succus oculorum caligines cum melle inunctus eximius habetur. *Plin.* 21. 86.

Myosotis (M. scorpioides) epiphoris peculiariter imponitur. *Plin.* 27. 8. *Dioscor.* 4. 89. Vim quoque habet septicam, ideoque aegilopas sanat. *Dioscor.* 2. 214. Tradunt Aegyptii, mensis quem Thiatin vocant, die 27 fere in Augusto mensem incurrente, si quis huius herbae succo inungatur, mane priusquam loquatur, non lippiturum eo anno. *Plin.* 27. 80.

Myrrha (ex Amyride Kataf) abstergendi vim habet, unde oculorum medicamentis admiscetur, utique quae ad ulcera et crassas cicatrices praeparantur. *Galen.* fac. simpl. 8. p. 124. *Plinius* quantum scio myrrham inter ophthalmica haud citat, quae apud *Celsum* fere quodlibet collyrium simul constituit.

Myrti (M communis) semina imponuntur lippitudini cum polenta et contra aegilopas antequam suppurent. *Plin.* 23. 81. *Dioscor.* 1. 155.

Oenanthe (Spiraea Filipendula) oculorum lacrymationes et pterygia emendat. *Plin.* 23. 5. Oleum oenanthinum oculorum claritati quid confert cum pari portione mellis acapni. *Plin.* 23. 40.

Olearum (Ol. europaea) succus carbunculantibus circa oculos ulceribus et pustulis procidentique pupillae efficax; quapropter in collyria additur; nam et veteres lacrymationes sanat et genarum erosiones. *Plin.* 23. 34. Utilis quoque ver-

ſus epinyctidas. *Ibid.* Nigra oliva oculis e contrario inimica. *Plin.* l. l. 36.

Oleaſtri foliorum decoctum et ſuccus inter oculorum medicamenta et contra epinyctidas et aurium fluxus. *Plin.* 23. 38.

Origanum (Or. creticum?) ab *Ariſtotele* iam (probl. 20. p. 955. et 31. p. 1023.) inter oculorum remedia exſiccantia laudatur. Noxium itaque eſt oculis inflammatis *Hippocrate* teſte (de morb. vulg. VI. p. 247.)

Othonnae, Syriae plantae, ſuccus oculorum medicamentis convenit, mordet enim leniter et excalfacit, adſtringitque ſiccando, purgat cicatrices et nubeculas et quidquid obſtat. Lavatur et digeritur ad hunc uſum in paſtillos. *Plin.* 27. 85. *Dioſc.* 2. 213.

Panacis (Laſerpitium? latifolium) radicem cum polenta epiphoris imponunt. *Plin.* 25. 91. *Dioſc.* 3. 55.

Panis candidus ex vino oculorum tumoribus imponitur. *Plin.* 22. 68. — *Celſus* iam (VI. 6.) ad oculos ſcabros et aridam lippitudinem, panem ex vino ſubactum ſuper oculum impoſitum laudat. Panis mundus vino infuſus et cum oleo roſeo tritus, ſaepe oculos reſtituit, ut *Theod. Priſc.* de ocul. cauſ. 1. 10. monet. Ex illis igitur temporibus, uſus panis candidi ad noſtram aetatem propagatus eſt: per Thuringiam enim verſus eadem vitia illo uti conſueſcunt agricolae.

Nuclei palmarum cremati in fictili novo, cinere loto ſpodii vicem efficiunt miſcenturque collyriis et calliblephara faciunt addito nardo. *Plin.* 23. 51. ex *Dioſc.* 1. 149.

Peucedani (P. officinale) ſuccus ad claritatem et caligines cum meconio et roſaceo adhibetur. *Plin.* 25. 91.

Platani (Pl. orientalis) tenerrima folia in vino albo decocta oculis conveniunt. *Plin.* 24. 29.

Polium (Teucrium Polium) contra oculorum ſuffuſiones. *Plin.* 21. 84. Polenta ſimilis et eiusdem forſan generis planta ſaepiſſime iam in compoſitis ocularibus medicamentis a *Plinio* commemorata eſt.

Polygonum ſylveſtre contra epiphoras collo circumdatur. *Plin.* 27. 91.

Pſyllion (Plantago Pſyllium) illitum fronti epiphoras ſuſpendit. *Plin.* 25. 91. Eadem vi excellit periſtereon (Verbena officinalis) ut Verbaſcum. *Plin.* l. l.

Ex *punico* malo acerbo fit medicamentum, quod ſtomatice vocatur, utiliſſimum oris auriumque vitiis, oculorum caligini et pterygiis. *Plin.* 23. 58.

Roſarum foliis utuntur in calliblepharis; arida etiam epiphoras leniunt et ungues roſae his prae caeteris commodi. *Plin.* 21. 73.

Raphani folia oculorum aciem excitare dicuntur. *Plin.* 20. 13.

Rorismarini ſuccus oculorum aciem exacuit, *Plin.* 24. 59. *Dioſc.* 3. 87. *Galen.* f. ſimpl. p. 203. Apulei. c. 79. tit. 7. Noſtris quoque temporibus ad hunc uſum Hungari oleo rorismarini utuntur, quod ab oleo caieput haud plane, niſi vi modica, alienum.

Ruborum ſuccus expreſſus ſole in mellis ſpiſſitudinem coactus, anginis et oculis inflammatis prodeſt: medetur quoque oculis procidentibus inſtillatus ſuccus et auribus. *Plin.* 24. 73. *Dioſc.* 4. 37. — *Rubi Idaei* flos cum melle epiphoris illinitur. *Plin.* l. l.

Ruta graveolens apud veteres in medicina ocularia laudatiſſima eſt. — Pythagoras rutam oculis noxiam putavit; falſum vero eſt, ſculptores enim et pictores hoc cibo utuntur oculorum cauſa cum pane; caprae ſylveſtres propter viſum. Succus eius cum melle attico caligines discutit, vel cum lacte mulieris puerum enixae, vel puro ſucco angulis oculorum tactis. Epiphoras cum polenta impoſita lenit. *Plin.* X. 51. ex *Dioſcor.* III. 52. — Aliorum etiam teſtimoniis haec omnia confirmantur: *Simeon Sethi* p. 97. poſt *Aëtium* 1. c. 327. (λέγεται δὲ καὶ ὡς ὀξύδερκές ἐστιν ἐσθιόμενον, καὶ διὰ τοῦτο εἰ πρὶν ζωγράφοι συνεχῶς αὐτοῦ ἀπεγένοντο). *Florentinus* in Geopon. XII. 25. p. 349. cum foeniculi ſucco et melle rutae ſuccum adhibet. *Plin. Valerianus* 1. 16. rutam ſiccam cum melle attico mixtam ad oculos lacrymoſos commendat. *Apuleius* c. 89. tit. 9. rorem matutinum

inunctum ad caliginem oculorum utilem habet. Rutam etiam *Ovidius* (Remed. amor. 801.) acuentem lumina dixit. — *Aemilius Macer*, qui rutae virtutes medicas ad coelum tollit, ipsis verbis admonet de ruta:

„Cruda comesta recens oculos caligine purgat."

Laudes istae, quibus a priscis celebratur ruta, ad mediae aetatis scholas etiam transierunt, quae nostris temporibus fere ignorantur. *Scholae Salernitanae* praeceptum, itaque est:

„Nobilis est ruta, quia lumina reddit acuta:
Auxilio rutae, vir lippe, videbis acute!" —

Huius temporis usum ad oculos curandos multis explicat *Tabernaemont.* (Kreuterb. 1. p. 483 sq.) — Hoc communi auctorum testimonio de rutae efficacia, admonitus, illam commendavi saepius pictoribus et illis qui scribendo desudare solent, ut herba recenti cum pane uterentur: ex cuius cibi repetito usu oculorum imbecillitates graviores plane fugatas aut diminutas omnino observavi. Externum vero usum incongruum habeo.

Sagapenum (? ex Ferula persica) per absterſionem oculorum cicatrices extenuat et expurgat: convenit quoque suffusionibus et oculis hebescentibus ob humores nimium incrassatos. *Gal.* de fac. simpl. 8. 112.

Scilla maritima (κρόμμυον) graecis dicta, mature iam innotuit in medicina ocularia ob vim acrem, lacrymas largas efficientem. Utilis perinde indicatur, ubi lacrymae ciendae sunt et con-

traria eſt ex hac cauſa origano, quod exſiccat. *Ariſt.* probl. S. 20. p. 955. Eodem loco problema exſtat, cur κρόμμυον unicum oculos tam vehementer mordeat? — Ideo etiam a Graecis ita dictum eſt, quaſi pupulam contrahat (ὡς τὴν κόρην ποιεῖν συμμύειν). Allegorice caeterum ab Aegyptiis κρόμμυον Typhonis oculus etiam vocatur. — *Acetum* ſcillinum oculorum aciem obiter exacuit. *Plin.* 23. 28. *Dioſc.* 5. 25.

Seſama (Seſamum orientale) decocta in vino oculis imponitur et aurium inflammationi illinitur. *Plin.* 22. 54.

Stoebe ſ. phleos dicta (*Theoph.* hiſt. 6. 1.) (Poterium ſpinoſum) in vino oculis convenit ictu cruentatis. *Plin.* 22. 13. Folia viridia illita oculorum ſuffuſiones ex ictu iuvant. *Galen.* fac. ſ. 8. 124.

Thymus niger et candidus oculorum claritati multum conferre exiſtimantur. *Plin.* 21. 89.

Thuris fuligine utuntur in medicina ocularia miſta, iis videlicet, quae ad oculos etiamnum phlegmone tentatos accommodantur, contra fluxus et ulcera, nam illa purgat et carne implet. Convenit etiam vitiis πτίλια dictis. *Gal.* fac. ſimpl. 7. p. 110.

Vinum falernum viſus obſcuritatem facere creditum eſt, nec prodeſſe nervis et veſicae. *Plin.* 23. 20. *Dioſc.* 5. 10. (κύστει ἄθετος καὶ ἀμβλυωπούσι.) Uterque tamen vini abuſum tantum in

culpa habet, et fere cum *Ovidii* (remed. amor. 131.) egregio praecepto convenit:

— — — Data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Plinius enim adiicit: vino modico nervi iuvantur, copioſore laeduntur, ſic et oculi. — Vini meraci potio utilis illis, qui epiphoris infeſtantur. *Plin.* 23. 23. — c. 24. vinum noxium habet: minime oculis rigentibus, genis ſtantibus, defectis gravibusque: nec quorum conniventium perlucebunt oculi palpebrisve non coëuntibus, vel ſi dormientibus hoc idem eveniet; aut ſi cruore ſuffunduntur oculi vel ſi lemae in oculis erunt. — *Hippocratis* et *Celſi* conſilia ſupra iam laudavimus. Acetum vini oculis ſaluberrimum cum aqua. *Plin.* 23. 27.

Violae luteae radix oculorum inflammationes cum myrrha et croco curat. *Plin.* 21. 73. *Dioſc.* 2. 122. Violae ſylveſtres oculorum privatim epiphoris et ſede procidente et contra ſuppurationes. *Plin.* 20. 76.

II. Varia ex regno animali.

Bubulo ſevo oculorum epiphoras cum oleo cocto illinunt. *Plin.* 28. 47. — Piſcium omnium adeps liquefactus ſole admixto melle oculorum claritati plurimum confert, item caſtoreum cum melle. *Plin.* 32. 24. — Urſinus adeps admixto ladano et adianto alopecias emendat et raritatem ſuperciliorum cum fungis lucernarum. *Plin.* 28. 46.

Ca-

Capilli adusti scabritias oculorum ac prurigines emendare dicuntur. *Plin.* 28. 29.

Crocodileam (stercus sc.) vocant, oculorum vitiis utilissimam cum porri succo inunctis et contra suffusiones vel caligines. Felle inunctis oculis ex melle contra suffusiones nihil utilius praedicant. Sanguis visus claritatem donat et cicatrices oculorum emendat. *Plin.* 28. 27. — Haec confirmantur etiam ab aliis: auctor Kiranidum II. 8. v. c. de crocodilo terreno: stercus quoque cum felle mixtum et inunctum albulas aufert. Idem sanguinem inunctum hebetationem corrigere et perfecte curare indicat: quod vero negat iam *Galen.* fac. simpl. 6. p. 279. Quod igitur stercus omnino commodum sit ani illius apud *Venusinum* (Epod. 12. 11.) oculis, ubi anus stercore crocodileo fucata laudatur.

Chamaeleontis dextro oculo, si viventi eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolluntur. *Plin.* 28. 29. — felle glaucomata et suffusiones corrigi prope creditur, tridui inunctione. Ibid. — *Marc.* Emp. 8. p. 59. *Scrib.* Larg. 38.

Cerebrum cornicis in cibo sumtum palpebras gignere dicitur. *Plin.* 29. 37. Pilos in his incommodos evulsos renasci non patitur fel herinacei, liquor ovorum stellionis, salamandrae cinis, lacertae viridis fel in vino albo. Ibid. — *Marc. Emp.* 8. p. 70. Cerebro catuli 7 dierum glaucomata emendari Magi dicunt, specillo demisso in

dextram partem, ſi dexter oculus curetur. *Plin.* 29. 38. cf. tot. caput.

Fel. Fel caprinum cum melle contra caligines cum veratri candidi tertia parte contra glaucomata; cum vino contra cicatrices, albugines et caligines, pterygia et argema. *Plin.* 25. 47. *Hyaenae* fel frontibus illitum lippitudini, aut ne omnino lippiatur, decoctum cum melle attico aut croco inunctum: ſic et caligines discuti, et ſuffuſiones. Claritati excitari magis inveterato medicamento, aſſervari in cypria pyxide. Eodem ſanari argema, ſcabritias, excreſcentia in oculis, item cicatrices. *Plin.* 28. 27. — Suffuſionem canino felle malebat quam hyaenae curare *Apollonius* Pitanaeus cum melle, item albugines. *Plin.* 29. 38. *Marc. Emp.* 8. p. 67. — *Scorpionis* marini rafi fel cum oleo vetere aut melle attico incipientes ſuffuſiones discutit inunctum et albugines. *Plin.* 32. 24. *Marc. Emp.* l. l. — Fel *hirci* agreſtis prodeſt nyctalope vexatis, ſecundum *Galen.* fac. 9. 152. et quidem quoniam caprae noctu aeque quoque cernant, ſanguine hircino ſanari luſcioſos putant. *Plin.* 28 47. — Omnium piſcium fluviatilium marinorumque adeps liquefactus ſole, admixto melle, oculorum claritati plurimum confert. Callionymi fel cicatrices ſanat et carnes ſupervacuas conſumit. *Plin.* 32. 24. *Galen.* fac. 10. 2. p. 284. *Dioſc.* 2. c. 96. — Fellis piſcium caeterum uſus inter medicamenta ocularia iam ex Tobiae caecitate ob leucoma ex codice

sacro notus est: minime tamen eius filius callionymi felle usus est, ut quidam volunt, sed potius alius cuiusdam maioris, forsan filiuri, patri visum restituit.

Lac oculo ab ictu cruore suffuso et in dolore aut epiphoris, si inmulgeatur, plurimum prodest, magisque cum melle et narcissi succo et thuris polline. *Plin.* 28. 20, ex *Dioscor.* 2. 18. Totidem fere verbis *Galen.* fac. 9. 150. qui lactis usum etiam commendat in ophthalmia cum rosaceo et ovo: sit vero lac mulieris recens ex mammillis expressum: quod a *Celso* quoque praedicatur. — Eum qui simul matris filiaeque lacte inunctus sit, liberari omni oculorum metu in totam vitam affirmant auctores apud *Plin.* l. l.

Lana praeprimis succida (quae sub dio ab ovibus sponte cadit) ad excipienda remedia ad pessos adhibebatur, qui desquamatis, collisis, lividis imponuntur. *Plin.* 29. 9. *Dioscor.* 2. 182.

Mel usitatissimum erat ad collyria et unguenta ocularia praeparanda apud veteres, uti ex l. l. et ex ipsa iam sacra scriptura (Ionathae oculi melle curantur, 1. Samuel. 14. 27 et 29.) constat. *Aristoteles* etiam (hist. anim. 9. 11. p. 1075.) mellis albi e sincero thymo non parati, usum oculis, et ulceribus praecipue commodum habet, ex quo etiam, ut supra vidimus, collyrium illud confectum erat, quod *Valerio Apro* visum restituit.

Ovum. Lac ovorum candido liquore mixtum, et madida lana fronti impoſitum, fluxiones oculorum ſuſpendit, nam ſi rana ſaliva ſua oculum adſperſerit, praecipuum eſt remedium. *Plin.* 28. 21. Lana cum ovo fronti impoſita contra epiphoras: ova per ſe infuſa candido oculis epiphoras cohibent urentesque refrigerant: quidam cum croco praeferunt et pro aqua miſcent collyriis: infantibus vero contra lippitudines vix aliud remedium eſt, butyro recenti admixto. *Plin.* 29. 11. *Dioſc.* 2. 55. — Lutea ovorum cocta ut indureſcant, admixto croco, aut melle et mulierum lacte, dolores oculorum mitigat. *Plin.* l. l.

Saliva ieiuna lippitudines corrigit, matutina velut inunctione. *Plin.* 28. 7. — mulieris ſalivam ieiunam potentem diiudicant oculis cruentatis et contra epiphoras et ferventes oculorum angulos. *Plin.* 28. 22. *Chriſtus* caeterum N. S. iam hoc remedio ſimpliciſſimo uſus eſt, ut ex *Marc.* 8. 25. conſtat: cum terra mixtam, ſalivum oculis illinit apud *Ioann.* 9. 6.

Sanguis teſtudinum terreſtrium claritatem viſus reſtituit, ſuffuſiones tollit. *Plin.* 32. 14. — Hirundinis ſanguis oculos ab externo caſu commodiſſime tuetur, prodeſt quoque palumbi, minus, efficax columbae. *Celſ.* VI. 6. p. 578.

Sordes ſudorque arte paratus lento igni oculis utiliſſimus contra inflammationes et oculorum ulcera. *Plin.* 29. 10.

Sepiae oculorum tumorem ruboremque cortex cum lacte mulierum illitus ſedat: eodem cortice et nyctalopas curant in farinam trito et ex aceto illito. Cinis oculorum cicatrices cum melle ſanat et pterigia. *Plin.* 32. 24. *Galen.* fac. 11. p. 165.

Spongiae molliſſimum genus penicilli oculorum tumores levant ex mulſo impoſiti: iidem abstergendae lippitudini utiliſſimi eosque tenuiſſimos et molliſſimos eſſe oportet: imponuntur et ſpongiae ipſae epiphoris ex poſca. *Plin.* 31. 47. — Et oculorum cauſa comburuntur in cruda olla figulini operis, plurimum proficiente eo cinere contra ſcabritias genarum, carnes excreſcentes. *Plin.* 21. 47. ex *Dioſc.* 3. p. 138. In his nimirum ſpongiae marinae uſtae uſus hodierni origo.

Urina contra oculorum albugines, obſcuritates, cicatrices, argema, palpebras et cumervi farina contra aduſtiones. *Plin.* 28. 18.

III. Ex regno lapideo.

A. Sales neutri.

Sal oculorum remediis et ad excreſcentes ibi carnes totiusque corporis pterygia, ſed in oculis peculiariter: ob id collyriis emplaſtrisque additur. Ex ictu vero ſuffuſis cruore oculis ſugillatisque cum myrrha pari pondere ac melle aut cum hyſſopo ex aqua calida, utque foveantur ſal-

fugine. *Dioſc.* V. 126. *Plin.* 31. 45. Ad haec hiſpanienſis eligitur contraque ſuffuſiones oculorum cum lacte in coticulis teritur: privatim ſugillationibus in linteolo involutus crebroque ex aqua ferventi impoſitus. *Plin.* l. l.

Flos Salis Aegypti detrahit ex palpebris pilos efficaciſſime. *Plin.* 31. 42. — Quamvis etiam *Plinius*, *Dioſcorides* et *Galenus* uberius de flore ſalis Aegypti agant et ſatis aptas deſcriptiones addant, dubia tamen multa ſuperſunt, quae ulteriorem definitionem haud admittunt. Innatat vero flos ſalis lacubus quibusdam Aegypti, utpote maſſa, pulpoſa, tenax, oleoſa, rubicunda. Lacus natro praeguantes Aegypti caeteroquin noti ſunt et ſecundum clar. *Bertholetum* (Journ. de phyſiq. ann. 8. p. 5.) omnino rubri coloris. Sit ergo flos ſalis in medicina ocularia laudatus, natron, alio vero liquore oleoſo commixtum, quem pro Petroleo habeo, et ex quo forſan ſubſtantia proprii generis et indolis proficiſcitur hucdum vero ignota.

Nitrum oculorum claritati utile, in nitrariis non lippiunt: extenuat et oculorum cicatrices et ſcabritias genarum: item contra argema: claritatem viſus cum melle inunctum adiuvat. *Plin.* 31. 64. 4.

Aluminis ſpecies, ſtrongyle et ab inſula Melo, melina dicta, oculorum vitiis aptiſſima eſt. Nulli vis maior neque adſtringendi, neque denigrandi, neque indurandi. Oculorum ſcabritias extenuat:

combuſta utilior eſt epiphoris inhibendis. *Plin.* 35. 52. totidem verbis *Dioſc.* V. 123. An Alumen romanum ſ. rochae? A *Celſo* alumen rotundum vocatur.

B. Lapides.

Haematites invenitur in metallis: uſtus minii colorem imitatur: oculis cruore ſuffuſis mire adiuvat. Proficit quoque in lacte muliebri oculorum lacrymis. *Plin.* 36. 37. ex *Dioſc.* V. 144. — *Galen.* fac. ſimpl IX. 139. illum laudat contra palpebras exaſperatas, in ovo dilutum: inunctum vero ſpecilli ope contra palpebras everſas. — Eſt caeterum ſine dubio haematites ille, qui et adhuc ita, nobis vero Blutſtein vocatur, qui ferrum oxydulatum conſtituit: *Plinius* illi vim quoque magneticam adſcribit. 36. 25.

Lapis Samius utilis in medicina, oculorum ulceribus cum lacte, aut contra veteres lacrymationes. *Plin.* 36 40. ex *Dioſc.* V. 173. *Iſidor.* 16. 4. — Lapis *phrygius*, lapis *ſciſſilis* et *aſius* ſaepius a *Celſo* et *Galeno* inter remedia ocularia nominantur, qui vero vix certius definiri poſſunt, nec tamen me iudice a ſchiſto aluminari *Walleri* aliena videntur. — *Thyites* lapis Aethiopiae abstergit quae pupulas obfuſcant absque phlegmone, cicatrices recentes, oculorum ungues niſi admodum duri fuerint. *Galen.* fac. ſimpl. 8. 137. — Denique *Plinius* 36. 43. in univerſum illos lapides, in Aethiopia haud raros, ad oculorum medicinam lau-

dat, qui ſuccum reddunt, unde ad argillam aut ad ſchiſtum bitumine commixum pertinere videntur.

C. Metalla.

Stibium. In argenti metallis invenitur ſpumae lapis candidae nitentisque, στίμμι appellant, alii ſtibium, alii alabaſtron. Duo eius genera, mas et foemina: magis probant foeminam. Vis eius adſtringere et refrigerare, principalis autem circa oculos; namque ideo etiam plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatet oculos. Fluxiones et inhibet et exulcerationes gummi admixto. *Plin.* 31. 33. ex *Dioſc.* V. 99. Stibium alii vocant ſtimmis *Plin.* 33. 6. quod teſte *Euſtathio* ad *Odyſſ.* vox arabica eſt et ad Graecos transiit cum more oculos tingendi (στιμμίζωμαι). Conferantur igitur cum hoc loco claſſico quae in antecedentibus cap. 2. de more illo dicta ſunt.

Plumbum limatum, aceto, vino, adipe roſaque exceptum et in mordario lapideo tritum ut cadmia: uſtum praedicatur in oculorum medicamentis et maxime contra procidentiam eorum et inanitatem ulcerum, excreſcentias rimasque ſedis. *Plin.* 34. 50. Adſtringit enim, ſiſtit et contrahit cicatrices, quod et *Dioſcoridis* (V. 95. 96.) confirmant verba: δύναται πληροῦν τὰ κοιλώματα.

Zincum conſtituit antiquiſſima iam remedia ocularia. — *Cadmia*, quae fit in argenti fornaci-

bus, colore puniceo, friabilis, oculorum medicamentis utiliſſima. *Dioſcor.* V. 84. *Plin.* 34. 21. *Oribaſ.* 53. 7. Cadmiam ſiccare, fluxus ſiſtere pterygia et oculorum ſordes purgare ſcabritiem extenuare, *Plinio* et *Celſo* iam comprobatur. Ad hunc uſum et contra albugines et cicatrices aes ipſum comburitur, *Galeno* auctore et cadmiam ita largitur, quae etiam tutiae, nihili griſei, tutiae alexandrinae nominibus mediae aetatis, circumfertur. Color puniceus, quem *Plinius* l. l. cadmiae adnumerat, adventitium ob plumbi partes commixtas habeo aut ex errore adſcriptum: griſei enim coloris cadmia eſt, quae fuligine aliisque peregrinis commixta eſſe ſolet. Variae formae, quibus ad fornacum parietes effloreſcit, diverſis nominibus a *Dioſcoride* et *Plinio* iam inſigniuntur, ad quae inter alia, onichitis, onionitis, placitis pertinent: ſi in uvae formam adhaerens naſcitur, *cadmia botryoides* vocatur, quae a *Celſo* inter medicamenta ocularia valde celebratur et ex qua collyrium achariſtum compoſitum comperivimus. Quoniam cadmia peregrinis ſordibus conflata eſt, inter ophthalmica fere ubique, cadmia *elota* commendatur. — Altera forma quae ex Zinco ſimul redundat uſto veteribus *pompholyx* audit, quae collyriis ad oculorum fluxus, puſtulas et ulcera curanda, apud *Celſum*, *Plinium* et *Galenum* ſaepiſſime additur. Candidum deſcribitur ab illis et leviſſimum, olim lana philoſophorum, nihilum album, iam Zincum oxydatum album dictum. Emer-

git ſimul cum cadmia, ubi Zincum comburitur, aut in propriis fornacibus conficiebatur apud veteres. Fodinae Cypriae Zinco ſulfurico ſcatebant, et exinde Zinci oxydati albi origo tam matura interpretanda videtur. *Spodium*, nigra quaſi eſt pompholyx, illota, fuligine aliisque ſordibus conflata, a pompholyge lota valde diverſum, in collyriis veterum tamen egregie celebratum. *Celſus* enim aliique, ſpodium et cadmiam contra ſtaphylomata laudant et alibi (de medic. V. 13.) ad exaſperata commoda habet.

Cuprum aeque ac Zincum ad prima pertinet apud veteres, medicamenta ocularia. *Chalcanthos* ſ. ut a priſcis interpretatur, flos aeris, cuprum ſulfuricum eſt; collyria ex eo facta, auferunt magnas palpebras, aſperitates ſycoſes dictas, (*Galen.* fac. ſimpl. IX. p. 146.) — Veteres autem fere omnes commiſcent Vitrioli ſpecies et Vitriolum martis viride et Vitriolum coeruleum Veneris, ſecundum locum natalem, colorem, formam et uſum modo dignoſcunt. *Plinio* teſte (34. 32.) chalcanthos, a Romanis *atramentum ſutorium* vocatur, ſub quo nomine ſaepe apud *Celſum* occurrit. Laudatiſſimum erat *Cyprium*, quod *Plinio* auctore, oculorum ſcabritiei dolorive, caligini medetur et epiphoras ſuspendit penicillo fronti impoſitum. Hoc ſine dubio eſt vitriolum coeruleum ſ. Cuprum ſulfuricum, caute dignoſcendum a Vitriolo Martis viridi. *Galenus* (IX. 24.) uberius modum, quo comparatur, explicat et fontes quoque fodinarum

cypriarum cuprum reddentes et ſtillantes indicat, quae fodinae ſecundum eius deſcriptionem ſahlunenſibus Sueciae et noſtris Goslarienſibus ſimiles videntur. Easdem fodinas recentiori etiam tempore *Lonnini* (voyage en Grêce I. p. 65.) recenſet et circa Damaſcum vidit. Huc quoque *Cinis cyprius* a *Celſo* (V. 7. p. 440.) forſan pertinet. — Atramentum ſutorium autem apud *Plinium* et *Celſum* promiſcue ſignificat aut Vitriolumm artis aut rarius Cuprum ſulfuricum, ubique tamen inter adurentia recenſetur. In medicina ocularia autem atramentum ſutorium omnino ad Cuprum ſulfuricum transfero. — Huic igitur medicamento ophthalmico haud diſſimilis videtur et ex illo prodiit ſine dubio *lapis* ſic dictus *divinus*, e cupro ſulfurico, alumine et nitro liquefactis compoſitus, qui a media inde aetate noſtris quoque temporibus utilis commendatur. — Vitriolum utrumque aëre accedente ſecedit in pulverem album, qui veteribus *Chalcitidis* nomine laudatur et inter remedia ocularia apud omnes priſcos medicos, magni momenti eſt: ex illa v. c. pſoricon collyrium apud Celſum compoſitum iam ſcimus. *Miſy*, quod *Plinius* et *Celſus* memorant, nihiloſecius huius loci eſt. — *Chryſocolla* et *coeruleum metallum* (χρυσοκόλλης καὶ κυανεὸν τὸ μεταλλον), proxime huc ſpectant, nec a Cupro divelli poſſunt. De utroque *Ariſtoteles* iam (*de mirabil. auſcult.* p. 1090.) narrat, in Demoneſo Carthaginienſium inſula reperiri et optimum medicamentum contra oculorum vitia eſſe (φάρμακον

ὀφθαλμῶν). Ibi etiam aes natans (χαλκὸς κολύμβητης) in ſtagno quodam occurrere, ex quo in templo Apollinis Sycioneo ſtatuas confectas eſſe. — Foſſores metalli huius viſu reddi acutiſſimo et ſi palpebris forte defecerint, facile exinde naſci; quapropter aes cinisque phrygius oculorum remediis admiſceri. — Ex hac igitur caſa facta egregia obſervatione, quam *Ariſtoteles* primus narrare videtur, uſus chrysocollae apud poſteros et ſine dubio, cupri laudes in univerſum, interpretandas commendo. *Dioſcorides* (V. 104.) chrysocollae δύναμιν σμηκτικὴν οὐλῶν adſcribit et *Plinius* (31. 28.) praeter iſtas addit inſuper, vomitus excitari exinde et ad cicatrices et ab Aegyptiis cum lacte in coticulis tritum ad ulcera oculorum collyriis apte miſceri: a medicis aceſin appellari, ab aurificibus vero ad adglutinandum aurum uti ex Cypria aerugine temperari. — Hanc vero chrysocollam, de qua iam ſermo, ſpontaneam et naturalem, pro aerugine foſſili ſ. ſcolecia habeo aut quoque ad viride aeris naturale, metallis cupreis adhaerens, transfero: aes autem natans ab *Ariſtotele* dictum, aliis derelinquo ut definiant nec hypotheſin quidem proferre audeo. *Coeruleum metallum Ariſtotelis* congener ſine dubio, nec tamen certius definiendum: forſan autem ad illud pertinet, quod vernacula Kupferlaſur vulgo vocatur. — Cum hoc coeruleo metallo naturali, aeque ac cum chrysocolla ſ. aerugine naturali, nequaquam commiſceantur illa, quae arte conficiuntur. Quod ad *aeru-*

ginem attinet, illa lota ſicut cadmia, ad oculorum vitia faganda quoque apud veteres adhibebatur. *Plinius* enim (34. 26.) ex *Dioſcoride* (V. 92.) qui ad cicatrices attenuandos adhibet aeruginem illi vim collyriis oculorum aptiſſimam adnumerat, delacrymationibus mordendo proficientem. In aeruginis uſu vero obſervandum praedicat ut penicillis calidis abluatur, donec rodere deſinat. Apud *Galenum* et *Celſum* quoque aerugini laus magna inter ophthalmica.

Ferrum. Magnetes ex Aethiopia oculis prodeſt, maxime vero epiphoras ſiſtit. *Plin.* 36. 25.

* * *

Aqua. Aquae effectus veteribus a vetuſtiſſimis inde temporibus illuxit, et eius virtutes et a poëtis et a medicis egregie celebrantur. Aquae laudes et de variis ſpeciebus opiniones auctorum *Athenaeus* (Deipn. II. 2. p. 43.) et *Celſus* (de Med. II. 18. p. 213.) uſum medicum illuſtrant. *Diocles* iam conſtituit, aquam coctioni utilem eſſe et viſum acuere, nec caput onerare, et *Hippocrates* (Coac. praenot. V. p. 164.) aquam potabilem modicam cum ſpongia ad oculos optimam habet. Id autem non ſatis, aquarum medicatarum effectum in oculorum medicinam etiam transtulerunt, et *Plinius* (30. 1.) Ciceronianas aquas oculis praeprimis mederi, auctor eſt. De hoc vero *T. Ciceronis* fonte, *Iſidorus* (XIII. 13.) uberius verba

facit: „in Italia fons Ciceronianus oculorum vulnera curat.“ Villam, in qua fontes hi erant, Puteolanum ſuum Cicero vocabat: alteram ad collem ſitam, Cumanum ſuum. Ex hac igitur cauſa libertus apud *Plinium* l. l. dum fontes calidos, oculis perquam ſalubres, deſcribit, canit:

„Ut quoniam totum legitur ſine fine per orbem
Sint plures oculis quae medeantur aquae.“

Sphalmata.

P.	L.	
15.	11.	loco ſtadium l. ſtudium.
28	6.	loco meditullitus l. medullitus.
31.	13.	loco advenit l. advehit.
30.	7.	loco effluxa l. effluxu.
34.	4.	loco efficaces l. capaces.
34.	10.	loco iubente l. iubenti.
34.	2.	infer. loco congrue l. congruenter.
35.	15.	loco capimus l. cupimus.
35.	16.	deleatur: eam.
44.	4.	infer. loco ſuperiori l. ſuperiore.
46.	4.	in not. l. ergo l. ego.
48.	7.	loco Et l. Ex.
51.	9.	loco periclitatus l. periclitatur.
56.	17.	loco tenuiſſimum l. tenuiſſimam.
57.	8.	infer. partes: inſerendum.
60.	20.	infer. loco ſuos l. ſuas.
64	10.	loco lege l. lego.
67.	9.	loco endi l. enodi.
77.	3.	loco discolores l. palleſcentes.
77.	11.	loco οἰνόφλογες l. οἰνοφλυγες.
85.	9.	loco perſequeremus l. perſequeremur.
98.	6.	delendum: deductum.
105.	11.	loco σῦκο l. σῦκον
110.	15.	loco dyſtrichiaſis l. diſtrichiaſis.
124.	12.	loco qui l. quo.
126.	15.	loco hac l. hae.
135.	12.	loco ſummam l. ſummum.
145.	2.	loco ἄγγημον l. ἄργεμον.
160.	12.	loco percuſſum oculum l. percuſſi oculi.
157.	5.	et 10. loco ὑπόπνον l. ὑπώπιον.
159		in philyr. L. — 7. loco comperti l. comperit.

NB. Denique in philyr. liter. L. M. et N. paginarum numerus perperam indicatur: cuius quidem l. p. 146 — 160, 161 — 176 ſqq. inſcribantur.